De dote secundum leges gentium Germanicarum antiquissimas

Richard Schröder

Herrn professor dr. Maurer
ehrerbietigst
der verfasse

#

DE DOTE

SECUNDUM LEGES GENTIUM GERMANICARUM ANTIQUISSIMAS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRIS JURECONSULTORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

PRO

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE I. M. FEBRUARII A. MDCCCLXI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RICHARDUS SCHRŒDER

POMMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:

AEM. FRIEDBERG, J. U. D.

R. DE BELOW, STUD. JUR.

J. WILCKENS, STUD. JUR.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

AB ILLUSTRI JURECONSULTORUM ORDINE PRAEMIO CORONATA.

PARENTIBUS CARISSIMIS

HAS PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

CONSPECTUS.

PARS II.

DE MORGENGABA.

OPERA IN HAC DISSERTATIONE SAEPIUS LAUDATA.

Beseler, die lehre von den erbverträgen. T. I. die vergabungen von todes wegen. 1835.

Eckardt, das witthum. (Zeitschr. f. dtsch. recht. X. No. XIV.)

Eichhorn, deutsche stats- u. rechtsgesch. T. I. 1843.

Gaupp, recht und verfassung der alten Sachsen. 1837.

Ginoulhiac, histoire du régime dotal et de la communauté en France. 1842.

Grimm, deutsche rechtsalterthümer. (abbrev. RA.)

Grupen, de uxore Theotisca. 1748.

Gundlingius, de emptione uxorum, dote et morgengaba. Lipsiae 1744.

Königswarter, études historiques sur le droit civil français. (Revue de législation. XVII. 393. sqq.)

Kraut, die vormundschaft nach den grundsätzen des deutschen rechts. T. 1. 1832. T. II. 1847.

Laboulaye, la condition civile et politique des femmes. 1843.

Muratori, antiquitates Ital. 1738. sqq.

Pardessus, loi Salique. 1843. (dissertation XIII.)

Rive, de dote qualis sit in antiquis Germanorum legibus. Bonnae 1856.

Schäffner, rechtsverfassung von Frankreich. T. I. 1845.
Waitz, das alte recht der sal. Franken. Kiel 1846.
Walter, deutsche rechtsgeschichte. 2. aufl. 1857.
Warnkönig, franz. rechtsgesch. T. II. 1846.
Wasserschleben, die buszordn. der abendl. kirche. 1851.
Weinhold, deutsche frauen im mittelalter. 1851.
Zöpfl, deutsche rechtsgesch. P. II. 3. aufl. 1858.

INTRODUCTIO.

De mundio feminarum.

Apud veteres Germanos sicut apud omnes barbaros pleno jure ii solum gaudebant, qui armati contra armatos jus suum obtinere et ultionem proximi (faidam) suscipere poterant, omnes autem inermes sub tutela alicujus viri militaris versabantur. Itaque non solum servi melioris conditionis (liti, aldiones) et liberti in patroni potestate erant, sed etiam omnes impuberes omnesque feminae »mundio«[1]) familiae suae vel regis subjiciebantur[2]).

Ed. Roth. 204: »Nulli mulieri libere sub regni nostri dicione legis Langobardorum viventem leceat in suis potestatem arbitrium silpmundia vivere, nisi semper sub potestatem virorum aut certe regis deveat permanere etc.« Brokmerbrief §. 96. (Richthofen fries. rqu. 164): »Sa skelin alla frouwa a foremunde stonda, hia skelin

---

[1]) Mundium est manus, potestas. RA. 447.

[2]) Kraut. I. 10 sq.

hebba auder thene berena ief thene kerena, and thi skel foremundere wesa, ther alra sibbest is, send hia al like sib, sa is thiu federside weldegera.«

Hoc autem mundium non ab universa familia, sed a patre vel fratre vel proximo agnato exercebatur[3]), ita tamen ut »mundoaldo« (i. e. tutori) in omnibus gravioribus causis familiae consensus opus esset[4]). Qui mundoaldus quum in omnibus rebus forensibus feminae vice fungebatur, ita ut ea violata mulctas aut ipse perciperet aut certe exigeret[5]) atque in quoque negotio civili auctoritatem interponeret[6]) et totam remfamiliarem ejus administraret[7]), tum antiquitus feminam cuilibet desponsare poterat[8]). Sed haec potestas, quamvis postea eo attenuaretur, quod mundoaldus ne feminam invitam cuiquam desponsaret legibus

---

[3]) Kraut. I. 166 sqq. 189 sqq. Gaupp. 152. 154. Cf. Ed. Roth. 186. »vult a patre, si habuerit, vult ad fratres, vult ad barbanes, vult ad manum regia.«

[4]) Kraut. I. 43 sqq. 62. 217. 295. 298. Cf. Form. Rhen. 16 (ed. Wysz, mittheil. d. antiqu. ges. i. Zürich. VII. 1853) »complacuit mihi, ut peterem a — viro — filiam ejus — mihi desponsandam. Quod cum ille cum consensu proximorum amicorumque suorum mihi concederet etc.« — Haec familiaris potestas mox regia potestate compensabatur, quum paulatim summa regis tutela existeret, quae imprimis ibi locum habebat, ubi feminarum agnati non extabant. Kraut. I. § 9. 23.

[5]) Kraut. I. 329 sqq.

[6]) Roth. 204. — — »nec aliquid e res moviles aut inmoviles sine volontatem illius, in cujus mundium fuerit, habeat potestatem donandi aut alienandi.«

[7]) Kraut. II. § 68.

[8]) Kraut. I. 328.

vetabatur[9]), tamen tanta erat, ut apud Alamannos, Bajuvarios, Francos mundoaldus ab eo, qui feminam sine ejus consensu duxerat, praeter mulctam legibus definitam[10]) etiam feminam ipsam reposcere[11]), apud alias autem gentes Germanicas certe totam feminae facultatem vindicare posset[12]).

Itaque secundum leges barbarorum quas vocant exceptis legibus Alamannorum et Bajuvariorum matrimonia sine mundoaldi consensu contracta non jam dirimebantur[13]), legitima autem habebantur solum matrimonia ita contracta, ut in desponsatione mundoaldus cum sponso de mundii pretio conveniret et pretio accepto feminam ei traderet[14]). Quofacto femina non jam in prioris mundoaldi, sed in mariti potestate erat, cujus et sortem et legem sequebatur, et liberi in matrimonio procreati patris mundio subjiciebantur[15]). Quodsi quis feminam non desponsatam duxerat

---

9) Roth. 195. Liutpr. 120. L. Sax. 40. Cnut. II. 74. Chlot. const. a. 560. c. 7. L. Wis. III. 3, 4. 11. Capit. Comp. a. 757. c. 6.

10) Hanc mulctam pretio mundii respondere infra videbimus. Cf. cap. I. § 1. § 2. not. 8, cap. II. § 1. not. 10. § 2, cap. III. not. 4, cap. IV. § 1. not. 1. § 2. not. 8. not. 15, cap. V. § 1. not. 13, cap. VI. not. 14.

11) L. Alam. Hloth. 51. 54. L. Baj. 7, 16. Greg. Tur. 9, 33. »Quia sine parentum consilio eam conjugio copulasti, non erit uxor tua.«

12) Kraut. I. 320 sqq.

13) Rive 4—9. 16 sq. — Cf. Form. Sirm. 16. »Viventibus patribus inter filios familias sine voluntate eorum matrimonia non legitime copulantur, sed conjuncta non solvuntur.«

14) Kraut. I. 173 sq.

15) RA. 447 sq. Kraut. I. § 20. Laboulaye. 137 sqq. — Cf. L. Wis. IV. 2, 15. »vir qui uxorem suam — habet in potestate similiter et in servis ejus potestatem habebit.« L. Burg. add. I. 13. »maritus ipse fa-

neque postea mundium acquisierat[16]), et feminae et liberorum mundium penes priorem mundoaldum permanebat[17]), cui maritus, muliere aut liberorum aliquo mortuis, weregildum componere cogebatur[18]).

Mundii autem pretio soluto matrimonium legitimum erat et, si maritus uxore superstite decesserat, vidua nisi altera emptione facta[19]) ad parentes suos non redibat, sed in mariti defuncti familia permanebat, ita ut mariti filius aut proximus agnatus, iis autem deficientibus rex ipse mundium susciperet[20]). Mulieris tamen proximi, quum

cultate ipsius mulieris sicut in eam habet potestatem ita et de rebus suis habeat.«

[16]) Matrimonium etiam mundio non acquisito constare potuisse Gaupp (142) et Rive (15) satis ostenderunt. Unde intelligitur, emptionem nunquam fuisse mulieris sed tantum mundii. Cf. Kraut. I. 172 sq. De mundio post nuptias acquisito. cf. cap. I. § 1. not. 18. § 2, cap. II. § 1. not. 11, cap. IV. § 1. not. 8, cap. V. § 1. not. 17, cap. VI. not. 11, cap. VII. not. 1.

[17]) Walter. II. 127. Ed. Liutpr. 126.

[18]) Ed. Roth. 187. L. Alam. Hl. 51, 1. 52, 2. 54, 2. Cf. cap. V. § 1. not. 3 sqq.

[19]) Gaupp. 144 sq. Kraut. I. 186.

[20]) Ed. Roth. 182 sq. L. Sax. 42: »Qui mortuus viduam reliquerit, tutelam ejus filius quem ex alia uxore habuit accipiat. si is forte defuerit, frater idem defuncti. si frater non fuerit, proximus paterni generis ejus consanguineus.« L. Sal. 71. (Const. Chlodov. Monum. II. 3): »achasium parentibus qui proximiores sunt marito defuncto donat. hoc est si pater aut mater desunt, frater defuncti aut certe nepus, fratris senioris filius — et si isti non fuerint, tunc in mallo judici hoc est comite aut grafione roget de eam in verbum regis mittat etc.« — Cf. Gaupp. 150 sqq. Kraut. I. 185 sqq. 191 sq. Häberlin syst. bearbeit. der hist. Frising. 225. — Pretio soluto prioris mundoaldi mundium tantum

jam, antequam nupsisset, praeter mundoaldum et post nuptias praeter maritum quandam custodiam ejus habuissent[21]), marito mortuo tantam vim in viduam habebant, ut mundoaldus neque iis invitis eam desponsare neque iis desponsationi consentientibus consensum recusare posset[22]).

Apud Salicos autem Francos viduae mundoaldus eam ne desponsare quidem poterat, sed vidua iterum nuptura imprimis pretio dato in parentum suorum mundium redibat, a quibus secundus maritus mundium acquireret[23]).

Apud Burgundiones[24]) denique et Wisigothos[25]) viduae omnino sui juris erant et ipsae liberorum tutelam suscipere poterant[26]), quod saeculo octavo vel nono etiam apud

resolvebatur, non ipso jure in maritum transibat; vidua igitur hominis Romani sui juris, liti autem uxor in domini ejus mundio erat. Cf. Kraut. I. 57 sqq. 185 sq. 318.

[21]) Kraut. I. 40 sq. Laboul. 140. Muratori II. 126 sqq.

[22]) Kraut. I. 42. 325 sq. Ed. Roth. 182: »Et si noluerit (pretium) accepere — parentis — ejus potestatem habeant eam dandi ad alium maritum, ubi ipsi et illa voluerent; et mundium ejus prioris mariti parentes non habeant, pro eo quod ei denegaverunt volontatem suam: ideo redeat mundium ejus ad proximus parentes, qui prius eam ad maritum dederunt.« L. Sax. 43: »Qui viduam ducere velit, offerat tutori pretium emptionis ejus consentientibus ad hoc propinquis ejus. Si tutor abnuerit, convertat se ad proximos ejus et eorum consensu accipiat illam, paratam habens pecuniam, ut tutori ejus, si forte aliquid dicere velit, dare possit.« (Gaupp 140 sq. hunc locum legis Sax. de proximis mariti defuncti loqui arbitratur.)

[23]) Vide infra cap. IV. § 2, ubi de reipo et achasio agitur.

[24]) L. Burg. 42, 2. 52. — [25]) L. Wis. III. 4, 2. 4, 7.

[26]) L. Burg. 59. 85, 1. L. Wis. III. 1, 7. 8. (1, 6. 7.) IV. 3, 3. Cf. Heyse u. Cropp jur. abh. I. 298 sqq. Ginoulh. 183. Laboul. 167 sq. Eichhorn. I. 321.

Francos et Bajuvarios in usu fuisse constat[27]). Omnino autem mundium feminarum eo tempore evanuisse inde colligi non licet, et eorum reprobanda est sententia, qui Wisigothis feminarum mundium fuisse negant[28]). Nam quamvis apud Wisigothos feminae laxiore statu gauderent et facultatem ipsae administrarent, proximorum tamen in eas potestas tanta erat, ut nesciam, cur Rive eam »non mundium ipsum sed aliam e familiari nexu solum ortam minorem potestatem esse« dicat.

27) L. Sal. 71. (vide not. 20.) Capit. Caris. a. 877. c. 6. »si deus eam ad perfectam aetatem venire donaverit, in matris suae sit potestate.« Häberlin l. c. 225.

28) Kraut. I. 11. II. 670 sqq. Rive 10 sqq. Contra Walter. II. 124.

PARS I.

DE PRETIO EMPTIONIS.

CAPUT I.

De jure Langobardorum.

§ 1.

D e e d i c t o R o t h a r i s. In lege Langobardorum mundii pretium aliquando verbo »mundium« significari et a sponso mundoaldo dari omnes viri docti consentiunt. De altera autem significatione multo usitatiore, de meta vel mefio, magnopere disputatum est, quum alii idem ea significari affirment[1]) alii eam a mundii pretio differre dicant[2]). Nemo tamen dubitavit, quin meta non mundoaldo, sed sponsae dotis loco competat, eo solum modo adjecto, ut Rotharis quidem temporibus mundoaldus metam a sponso acceptam sponsae restituerit, posterioribus autem temporibus sponsa eam ab ipso sponso acceperit[3]). Sed

---

[1]) Beseler. 199 sq. Eichhorn. I. 314. 362 sq. Gaupp. 138 sq. Ginoulhiac. 186 sq. RA. 422. Kraut. I. 299 sq. Laboulaye. 115 sqq. Zoepfl. § 81. *a. b.*

[2]) Rive. 20 sqq. 40 sqq. Walter. II. 126.

[3]) Gaupp. 138. 179. Kraut. I. 301 sq. RA. 423. Omnium proxime ad verum accedunt Beseler. 200. 206. et Weinhold. 212.

si hanc differentiam inter Rotharis et posteriorum regum edicta accuratius perspexerimus, Rotharis temporibus mundoaldum, non sponsam mundii pretium accepisse et retinuisse intelligemus.

Rotharis enim ed. 160 et 161 id quod pro sororum mundio solvatur inter fratres naturales et legitimos parentes dividi dicitur.

Roth. 160: — — »Pro mundio autem suprascriptarum tollant naturalis filii tertiam partem et heredes legetimi aut curtis regi partis duas.«

Eod. 161: — — »pro mundio earum tollant legitimi filii partes duas, naturalis vero partem tertiam.«

Mundoaldum autem ipsum pretium suscipere Roth. 200. legimus:

»Si maritus oxorem suam occiderit inmerentem — conponat — illis parentibus qui eam ad maritum dederunt et mundium susceperunt.«

Quo loco praeterea mulieris interfectae liberos hereditatem ejus, i. e. morgengabam cum faderfio[4]), accipere docemur:

»Et si filius de ipsa mulierem habuerit, habeant filii morgincap et faderfio matris suae mortuae; et si filius ex ipsa non habuerit, revertatur ipsa facultas ad parentes, qui eam ad maritum dederunt.«

Nam si sponsa ipsa metam acciperet, quid est, quod ejus heredes eam non adipiscantur? Contra facile intelli-

[4]) Faderfium vel faderfio est dos profecticia Romanorum, a meta distincta Roth. 199. Goth. faihu, ahd. feoh significat pecus, pecunia, — faderfio paterna pecunia, »quod de parentes adduxit,« maritagium. Cf. RA. 429. Homeyer, Ssp. II. 275. Cf. Roth. 181 sq. 200. 216 sq. 220. Liutpr. 4.

gitur, mulierem metam, quippe quam ipsa non accipiat, heredibus relinquere non posse.

Roth. 182: — — »Et si noluerit accepere, habeat ipsa mulier morgincap et quod de parentes adduxit, id est faderfio.«

Morgengaba igitur et faderfio mulieris facultas constat. Meta autem, si neque ad mulierem, neque ad heredes mariti ejus pertinet, cujus esse potest, nisi mundoaldi, qui »eam ad maritum dedit« atque qui, si vidua marito mortuo ad parentes reverti vult, mariti heredibus pretium reddere jubetur?

Roth. 216: »si — parentes eam ad se recollegere voluerent, reddant pretium quod pro mundio ipsius mulieris datum est illis quibus aldius fuit et mundium ejus fecit; tunc illa absque morgincap aut aliquit de rebus mariti revertatur sibi ad parentes suos cum rebus suis, si aliquid de parentes adduxit.«

Quodsi non mundoaldus, sed femina metam possideret, non illum sed feminam metam reddere oporteret, ita ut illa »absque meta et morgincap aut aliquid de rebus mariti[5])« ad parentes suos reverteretur. Pretium autem pro mundio mulieris datum nihil aliud quam metam esse, quae, vidua aldii ad parentes revertente, domino reddatur, ex similitudine viduae ingenui hominis apparet, pro qua

[5]) Quominus verba »aliquid de rebus mariti« ad metam pertinere accipiamus, eo prohibemur, quod de mundii pretio, i. e. de meta, jam antea actum est. Itaque haec verba potius ad mariti hereditatem spectare mihi videntur, quod etiam verbis sequentibus confirmatur: »Et si filii de ipsa muliere fuerent et noluerent in casa patris sedere, res paternas demittant, et mundio pro se reddant, quantum pro matrem eorum datum est.«

si ad parentes redit aut alteri marito nubit, mariti prioris proximo agnato dimidium prioris metae solvitur[6]).

Roth. 182: — »Secundus autem maritus, qui eam tollere disponit, de suis propriis rebus medietatem pretii, quantum dictum est, quando eam primus maritus spunsavit, pro ipsa meta dare deveat ei qui heredis proximus mariti priori esse invenitur.«

Eod. 183: »Si — contegerit, marito mortuo, ut ipsa mulier ad alium maritum debeat ambolare, aut ad parentes reverti aut ad curtem regis: tunc heredis mariti prioris accepiant medietatem de meta, sicut supra constitutum est etc.«

Eod. 199: »Si pater filiam aut frater sororem suam ad maritum dederit, et contegerit casus ut ille maritus moriatur, et pater aut frater mundium ejus liveraverit, sicut supra constitutum est etc.«

Itaque quum pretium pro viduae mundio datum non sponsae, sed ipsi mundoaldo competat, quid est, quod in virginum desponsatione non idem locum habere putemur?

Ii autem, qui metam non sponsae, sed mundoaldo obvenire affirmant, ante omnia edicto Rotharis 178 nituntur, quo is sponsus, qui nuptias sine causa plus biennio distulerit, metam poenae loco solvere jubetur:

»Postea leceat eos ad maritum alii dare, libero tamen; et meta quae exacta fuerit sit in potestatem puellae aut mulieris, eo quod spunsus intra prefenitum tempus oxorem accepere neclexit.«

Meta igitur sponsae repudiatae fit, sive virgo sive vidua (mulier) est. Sed quum viduas metam non accipere

---

[6]) Gaupp. 144 sq. pro ingenius non minus quam pro aldiis ad mundium liberandum summam priori aequalem dari putat.

viderimus, hic non de meta pro mundio data agi apparet. Immo vero meta hic poenae loco solvitur[7]) et tamquam ignominiae pretium repudiatae sponsae competit.

Alter autem locus, qui sententiae a nobis prolatae obstare videtur, de vidua loquitur, quae ad parentes reversa, parentibus mortuis, cum sororibus hereditatem dividit.

Roth. 199: »tunc illam veduam, qui in domum patris aut fratris regressa est, habeat sibi in antea morgincap et mephio; de faderfio autem, id est quantum de alia dona, quando ad maritum ambolavit, pater aut frater ei dedit[8]), mittatur in confusum, et alias sorores et illa alia soror unam aut plures tollant unamquis in antea tantum, quantum pro mundio pater aut frater liberandum a parentis mariti defuncti dedit. Reliqua patris vel fratris substantia aequa lanciae dividant.«

Omnis vero scrupulus, si quis huic legi inest, eximetur, si verba »habeat sibi in antea« zeugma continere acceperis et pro »habeat sibi in antea mephio« posueris: »anticipet mephio«. Vidua igitur ad parentes reversa, si, patre vel fratre mortuo, cum sororibus hereditatem dividit, morgengabam, quippe quam a marito acceperit, »in antea habet«, i. e. conferre nullo modo cogitur; alterum vero donum, quod pater vel frater ab eodem marito accepit, id est metam, anticipat; collatis deni-

---

7) De hac re infra agemus.

8) Kraut. I. 301. haec verba ita interpretatur, ut dicat, feminam, »quando ad maritum ambulet,« a mundoaldo et faderfium, et metam accipere; aliud autem esse faderfium, quod de parentum facultate, aliud metam, quae de mariti rebus originem trahat. Sed quum meta hic cum morgengaba conjungatur, rectius interpretatur Rive 45: »faderfium autem i. e. aliud donum, nimirum id, quod pater vel frater ei dederit.«

que faderfio, quod ipsa a parentibus accepit, et altera meta, quam parentes ad eam mundio liberandam dederunt, reliquam hereditatem cum sororibus aequa lance dividit.

Postquam igitur utrumque locum oppositum refellimus, per totum edictum Rotharis nullum invenimus locum, qui nostrae sententiae repugnet, nisi forte

Roth. 215: »tunc meta, quae data fuerat ab illo sponso, reddatur ei tantum, quantum in ipsa meta dedit; nam alias res illius sit, qui mundium ejus in potestatem habere videtur.«

verbis »alias res« indici accipies, metam quoque in rebus feminae mortuae fuisse. Usus autem loquendi barbarolatinus tam indiligens est, ut ex uno vocabulo »alias« nihil conjicere possis[9]).

Secundum ea, quae supra diximus, assumptis iis argumentis, quae Kraut profert, dubitari non potest, quin mundii pretium apud Langobardos plerumque »meta« appellatum sit, i. e. ahd mieta, mietscaz, ags. mêd, mêdsceat munus, merces, praemium[10]). Eandem sententiam profert »mephio« (mefio, mepfio), quae vox e meta et fio i. e. pecus, pecunia, composita est[11]). Praeterea

[9]) Cf. not. 8.

[10]) RA. 422 sq. Lombardacomment. II. 1. (ed. Anschütz) »mundoaldus consentire debet et accipere medietatem mete quam prior vir dedit uxori sue pro pretio mundii.« Zöpfl § 81*a*. not. 7. cum verbo meta comparat nostrum miete (locatio conductio), heuern, heurat, huren (corpore quaestum facere). Cf. Gûdrûn (ed. Ettmüller) IV. 5 sq.: »Seht ir die bürge, frouwe? ir müget iuch freude nieten: Welt ir uns sin ge naedic, wir wellen iuch mit rîchem lande mieten,« ubi mieten idem quod dotare significare videtur.

[11]) Homeyer. Ssp. II. 275.

mundii pretium aliquando »mundium« appellari[12]) jam supra memoravimus.

Roth. 183: »Si quis pro liberam mulierem aut puellam mundio dederit.«

Eod. 200: »qui eam ad maritum dederunt et mundium susceperunt.«

Eod. 216: »et mundio pro se reddant.«

Liutpr. 9: »ipse mundius non sit amplius quam solidos tres.«

Eod. 10: »et posuerit ei mundium aut unum sol. aut duo etc., tantum habeat mundium, quantum ei in cartola adfixerit — — non habeant amplius mundium nisi quantum et mater eorum.«

Eod. 141: »tantum mundium de ea suscipiat.«

Eandem vim etiam voci »mundium facere« inesse[13]) inde apparet, quod Liutpr. 117 »metam facere« pro metam constituere obvenit.

In desponsatione, postquam mundoaldus cum proco de pretio convenit[14]), alter alteri praedes dat[15]), sponsus ut pretium rite persolvat[16]), mundoaldus, ut sponsam ei »tradat ad uxorem«. Si quis vero, sive mundoaldus sive sponsus sive alius quidam homo, pactum ita conventum

[12]) Kraut. I. 15. 172.

[13]) Roth. 165. 184. 187 sq. 190 sq. 216. Liutpr. 114. 126 sq. — Cf. gloss. Caroli ad Li. 126. »mundium ex ea fecerit i. e. eam a mundio liberaverit, non ut ipse mundium habeat.« Kraut. I. 57 sqq. 301. n. 7.

[14]) Roth. 178 sq. 182. 190 sqq. — [15]) Roth. 178. 190 sqq.

[16]) Metae constitutionem esse alienationem ed. Roth. 167. intelligitur, quo praecipitur: ut, si quis plurium fratrum communia bona possidentium uxorem duxerit et metam dederit, ceterorum quisque eandem summam e rebus communibus anticipet. Beseler. 206. Rive. 79. Cf. Roth. 199.

violavit, parti violatae aut simplam aut duplam metam poenae loco dare cogitur.

Roth: 178: »Si quis sponsaverit puellam liberam aut mulierem, et post sponsalia facta et fabola firmatam duos annos neclexerit eam tollere, et dilataverit nuptias exsequi, post transactum biennium potestatem habeat pater aut frater, vel qui mundium ejus potestatem habit, distringere fidejussorem, quatinus adimpleat metam illam quae in diae sposaliciorum promisit. Postea leceat eos ad maritum alii dare, libero tamen; et meta, quae exacta fuerit, sit in potestatem puellae aut mulieris, eo quod spunsus intra prefenitum tempus oxorem accepere neclexit aut si volontarie dilatavit, excepto inevitavilem causa.«

Eod. 179: »Si dixerit sponsus de sponsa sua, quod adulterassit, postquam eam spunsatam habuit — si, postquam purifigatam fuerit, ea tollere oxorem neclexerit, sit culpavelis sponsus dublam metam, quantum dictum est in diae illa, quando favola firmata fuit.«

Eod. 190: — »Spunsus autem, cujus sponsatam fuit, omnia, quae in meta dictum fuit, quando eam sposavit, in dublum ei conponatur ab illo, qui ei disponsatam suam turpe fecit; et postea spunsus post acceptam dublam conpositionis penas, sit sibi contemptus.«

Eod. 191: — »Spunso autem, in cujus turpe aut in derisiculum egit, conponat dobla meta (raptor) etc.«

Eod. 192: — «parentes, qui hujus conludii fraudis consenserent, conponant sponsum, qui eam spunsatam habuit, simili poena, ut supra, in dublum meta, que dicta fuerat in diae spunsaliorum.«

Ob hanc autem metae naturam glossa Eporediensis dicit: »meta i. e. pena« et glossarium Matritense: »messio i. e. arre«.

Nuptiis vero non secutis, nulla sponsi aut mundoaldi interveniente culpa, sponsus metam, quae semper ante mundium traditum solvitur, recipit[17]). Quodsi quis feminam non desponsatam, i. e. sine mundoaldi consensu, duxerit, etiam post nuptias mundium faciat oportet[18]).

§ 2.

De meta qualis posterioribus temporibus fuerit.

Quod Rotharis temporibus in usu fuisse vidimus, quantum ad aldias pertinet, etiam octavo saeculo apud Langobardos valebat[1]). Nam si aldia nubebat, sponsum domino ejus mundii pretium dare necesse erat.

Liutpr. 141: — »dominus ejusdem mulieris tantum mundium de ea suscipiat, si aldia fuerit, sicut lex est, et si fuerit ancilla, accipiat exinde pretium aut vegariam, sicut convenerit.«

Instr. a. 771. (ap. Muratori I. 875): »recepit A. actor Domni Regis — de mundio de aldiana Domni Regis — de auro solidum tres.«

Ingenuarum autem feminarum, quippe quae antiquitus nisi post mortem mundoaldi pretium pro se datum non acciperent, meta non jam mundoaldo, sed sponsae

---

17) Roth. 179 sq. 215. — 18) Roth. 187 sq. 190 sq. 214. Cf. pag. 4.

1) Aldiarum conditionem a feminis ingenuis differre jam supra, quum de mundio liberando ageremus, vidimus. Praeterea autem etiam eo ab ingenuis differebant, quod aldiarum pretium plerumque a dominis constituebatur. Liutpr. 10.

obveniebat[2]), scilicet quod vetus illa ratio emptionis mundii in dies magis evanuerat, ita ut meta non jam pro mundio dari sed dotis causa a marito uxori offerri videretur.

Ergo omnia, quae supra de pretio emptionis diximus, eodem modo de meta sponsae constituenda dicenda sunt. Metae enim quantitas in desponsatione inter mundoaldum et procum constituitur, certo tamen modo 300 vel 400 solidorum, quem excedi non licet, a Liutprando praecepto[3]). Vidua autem secunda vota ineunte, dimidium metae prioris non, sicut antiquitus, mundoaldo, sed ipsi viduae datur.

Liutpr. 129: »Illa vero (puella quae impuberem sibi desponsavit) si ad alium maritum ambolaverit et ipse puerulus eam habere noluerit, non ei possit vero suo, qui eam tollit, pleniter mefio dare sicut ad aliam puellam, sed tantummodo mediaetatem sicut ad viduam mulierem.

Plerumque sponsus in desponsatione fidejussoribus datis[4]) metam, quae aut nummis aut aliis rebus sive mo-

[2]) Liutpr. 89. 103. 114. 129. Aist. 14. Itaque meta etiam »sponsalitium« vocabatur. Form. ad Roth. 215. Gloss. Epor. ad Li. 7. Lomb. comment. II. 4. »Sponsus sponse dare potest metam id est sponsalitiam donationem.«

[3]) Liutpr. 89: »Si quis conjogi suae metam dare voluerit, ita nobis justum esse conparuit, ut ille qui est judex debeat dare, si voluerit, in solidos 400, amplius non, minus quomodo convenerit; et reliqui novelis homenis debeant dare in solidos 300, amplius non; et si quiscumque alter homo minus voluerit, quomodo convenerit.« Metae 200 solidorum in formula ad Roth. 199, 100 solidorum in form. ad Roth. 167. 182. 215 mentio fit.

[4]) Liutpr. 117. Form. ad Roth. 182. 196.

bilibus sive immobilibus constat[5]), die nuptiarum solvere promittit[6]) aut statim dat, nuptiis autem non secutis, — nisi forte per eum stetit, quominus celebratae sint, — quae dedit recipit[7]). Desponsatione enim per alicujus culpam violata, sicut antiquitus etiam secundum Liutprandi edictum meta poenae conventionalis loco est, quippe quae violatori aut simpla aut dupla solvenda sit[8]).

Liutpr. 30: — »si quiscumque secularis parentem nostram saecularem disponsat cum solo annulo, eam subarrat et suam facit, et si postea alter eam oxorem duxit, culpavilis invenitur DC solidos.«

Eod. 119: »Si quis filiam suam aut sororem sponsare voluerit — posteus eam sponsaverit, non habeat potestatem alteri homeni eam ad maritum dandi ante bienni tempus: et si dare cuilevit presumpserit, aut ipsa spunsalia irrumpere voluerit, conponat sponso ipsius sicut inter se poena posuerunt, qualiter

[5]) Liutpr. 89. i. f. »Et ipsa meta sub aestimatione fiat data et adpraetiata, ut nullo tempore exinde intentionis aut causationis procedant.« Beseler. 204. Rive. 69.

[6]) Glossar. Cav. »meta est promissio quod marito facit uxori antequam tollat.« Glossar. Matr. »meta i. e. obligatio in die nuptiarum.« Liutpr. 114. »si ei meta nec data nec promissa fuerit.« Cf. Beseler. 205. Rive. 65 sq.

[7]) Form. ad Roth. 215. »P. te appellat M., quod ipse sponsavit Mariam tuam mundoaldam et dedit ei in sponsalicio solidos 100; et mortua est; et praecepit lex, quod ipse debet accipere quod dedit.«

[8]) Huc fortasse etiam Li. 12. pertinet: »Si quis puella ante duodecim annos aut spunsaverit aut tolerit, — — si — mundoald ejus consentiens fuerit aut tradederit eam ante suprascriptos 12 annos, conponat in sagro palatio solidos 300 et mundium ejus amittat.« Cf. pag. 3. n. 10.

in anteriorem edicto legitur pagina. — — Si vero sine volontatem patris aut fratris eam tollere presumpserit, qui jam alteri est disponsata, conponat sponso ejus dubbla meta, sicut Edictus anterior contenit.«

Sed si quis feminam sine mundoaldi consensu duxit, etiam postea eum, ut mundium acquirat, metam constituere oportet. Mortuo autem eo, antequam cum mundoaldo de mundio conveniat, viduae, quia invito mundoaldo nupsit, nulla meta competit.

Liutpr. 114: »Si puella sine volontate parentum absconse ad maritum ambolaverit et ei meta nec data nec promissa fuerit, et contegerit, ut maritus ipse antea moriatur, quam mundium de eam faciat: contenta sit ipsa mulier, nec possit postea metam querere ab heretibus ejus, qui defunctus est; pro eo quod neclegenter sine volontate parentum suorum ad maritum ambolavit, nec fuit qui justitiam ejus exquireret.«

Unde apparet, eam mulierem, quae, quamvis legitime desponsata et tradita, metam a marito non acceperit, eo mortuo ab heredibus metam legitimam (»justitiam« suam)[9]) petere posse[10]). Vidua autem, sive in mariti defuncti familia remanet, sive iterum nubit, sive ad parentes redit, totam metam retinet et ipsa mortua heredibus suis relinquit.

Aist. 14: »Si quidem nupserit postea aut mortua fuerit, usumfructum in integrum ad heredes revertatur; de meta vero et morgincap fiat secundum anteriorem edictum[11]).«

---

[9]) De vocabulo »justitia« cf. cap. V. § 2. not. 2, Pars II. cap. I. § 2. not. 8.

[10]) Cf. cap. IV. § 1. — [11]) Roth. 199.

Attamen si mulier ante maritum decessit, maritus superstes cum ceteris rebus ejus etiam metam accipit[12]), nisi forte propter injurias erga conjugem mundium jam antea amisit[13]).

Itaque quum meta eodem modo quo morgengaba in mulieris dominium veniret, mox factum est, ut utraque confunderetur et una solum donatio propter nuptias superesset, cujus naturam in altera hujus dissertationis parte exponemus.

§ 3.

De mundii pretio symbolico apud Langobardos.

Saeculo octavo apud Langobardos mundium re vera non jam emebatur, quoniam sponsus pretium non venditori i. e. mundoaldo, sed sponsae solvebat. Langobardi autem, sicut et ceteri Germani, in negotiis maxime symbolis utebantur, ita ut exempli causa nulla donatio, nisi per imaginariam venditionem facta, donatore minimum quoddam pretium nomine launegild (i. e. lohngeld, merces) accipiente, valeret[1]).

Liutpr. 73: »De donatione quae sine launechild aut sine thingatione facta est, menime stare deveat.«

Itaque etiam ad mundium acquirendum ficta emptione opus erat. Sponsus enim in desponsatione non solum metam sponsae faciendam pollicebatur, sed etiam

---

[12]) Liutpr. 14: »Si autem contegerit illa mori, quae jam nupta tradita est. tunc ille ei succedat, qui eam per mundium suam fecit.«

[13]) Grim. 6. Liutpr. 130.

[1]) Roth. 175. 184. Liutpr. 43. 54. 65. Lombarda (ed. Anschütz) II. 15. Capit. a. 825. c. 3.

pretium symbolicum, quod launegild vocabatur, mundoaldo solvebat.

Quod pretium Grimm Rotharis temporibus vocabulo »mundium« significatum esse arbitratur[2]); sed quum eo tempore adhuc vera mundii emptio vigeret, quid praeterea ficta emptione opus erat?

Quomodo imaginariae illae mundii emptiones factae sint, in formulis, edictis regum Langobardorum adjectis, clarissime describitur.

Form. ad Roth. 182: — »et fiat foemina tradita per manum. Propter hoc dat Petrus hanc grosnam[3]), ut mittas eam sub mundio cum omnibus rebus — quae ad eam pertinent, et mundium et grosnam tradas sibi ad proprium. Da ei lonechild.«

Sed quantum fuerit pretium, hoc quidem loco non intelligitur, in altera autem formula scutum et lancea pro mundio dari dicuntur[4]).

Form. ad Roth. 196: — »et donate Martino ad legitimam uxorem ad habendum. Senior Comes, propter hoc donat M. istam crosinam et istam lanceam et istum scutum ad habendum a Domino Imperatore per mundium Mariae mundualdae de palatio, ut mittas eam sub mundio cum omnibus rebus — quae ad eam per legem pertinent. Et tento scuto et lancea tradas ei hanc

[2]) RA. 448 sq.

[3]) Grosna, crusna, crusina pallium, pellicium erat, quod Langobardi in mundii traditione symbolice dabant et reddebant. RA. 448.

[4]) Cf. chartam Ottonis I. Imp. a. 937. (ap. Meibom.) »Nisi tantum singulis annis unum cavallum, scutum et lanceam vel duas crusinas dent, ut sciant in mundibordio regis se esse.« Tac. Germ. 18. »boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque.« Cf. cap. VII.

crosna et mundium ad proprium. Retinentur enim illa duo a comite.«

Restat denique tertia formula, quae, quamvis »Qualiter vidua Salicha spondetur« inscripta sit, dubitari non potest, quin ritum Langobardicum proferat[5]). Nam quum apud Salicos pretium symbolicum unius solidi et denarii vel trium solidorum et denarii fuisse constet, hic secundum usum Langobardorum crosna traditur et launegild decem solidorum datur.

Form. Langob. XXI[6]). Secundum lectionem emendatiorem, quam affert Blume[7]): »hoc facto pro mundio det Fabius Senece crosnam unam valente X solidos, et orator dicat: o Seneca, tu per hanc crosnam mitte sub mundio hanc cum omnibus rebus — et mundium et crosnam trade ad proprium Fabio. Quo facto tunc Fabius cum S. sua uxore lonechild Senece tribuad.«

Principio igitur pro mundio crosna datur[8]), quae quum postea retradatur necesse sit, mundoaldo lonechild decem solidorum, i. e. crosnae pretium, solvitur.

---

[5]) Cf. cap. IV. § 2. not. 14.

[6]) Canciani II. 477. Walter c. j. g. III. 556.

[7]) Apud Peters comm. ad tit. 47. leg. Sal. Berol. 1830. in append.

[8]) Crosnam saepius pro launegild datum fuisse confirmatur instrumento apud Muratori. II. 270. »accepi ego (donator) — da pars ecclesia — merita causa et inde launechild crosna una, ut eo mea mens firma et stabilis permaneat.«

CAPUT II.

De jure Saxonum, Anglosaxonum, Frisionum.

§ 1.

De jure Saxonum[1]). Apud Saxones non solum eo tempore, quo lex Saxonum conscriberetur, sed certe apud Diethmarsos, gentem Saxonicam, usque ad 16. saeculum feminarum mundium re vera emebatur, ita ut eodem modo, quo apud Langobardos Rotharis temporibus, pretium pro mundio datum non mulieri[2]), sed mundoaldo[3]) obveniret.

L. Sax. (ed. Merkel). 40: »Uxorem ducturus 300 sol. det parentibus ejus.«

Eod. 43: »offerat tutori pretium emptionis ejus.«

Eod. 49: »et insuper 300 solidis emat eam.«

Eod. 65: »Lito regis liceat uxorem emere ubicumque voluerit sed non liceat ullam feminam vendere.«

Alb. Krantz. Wandalia. I. 13: »valet hodie ea (ut ferunt) consuetudo in Thietmarsis, gente palustri, ad exitum Albis fluminis: ut nuptui tradant filias indotatas, sponso, quantum inter eos convenit, annumerante aut pendente his, qui puellam in potestate habuerunt.«

---

[1]) Cf imprimis Gaupp. pag. 137—148.

[2]) Grimm RA. 423. illud pretium a mundoaldo sponsae restitui et in lege Sax. »dos« appellari putat. Hoc autem vocabulo morgengabam, non pretium significari infra videbimus. Cf. Pars II. cap. III. § 1.

[3]) Utrum soli mundoaldo an etiam ceteris agnatis mulieris pretium obveniat, dijudicare non ausim; magis tamen ea sententia mihi probatur, quam Gaupp (139) profert: sicut viduae etiam puellae mundoaldum pretium accipere solum.

Saeculo tamen 16. etiam in Diethmarsis mundii emptionem jam obsolevisse Neocorus (I. 109) testatur:

»Crantzii wort Wand. I. sind klar, dat solchesz noch tho siner tidt ummet jahr 1500 im gebrucke gewesen: De gebruck isz noch etc.«

Ex iis, quae Krantz loco citato memorat, sponsum et mundoaldum de pretio convenire apparet, ita ut summa 300 solidorum, quae lege Saxonum profertur, tum modo locum habere videatur, quum de pretio aliter non convenerunt. Quae summa legitima tanta est, ut maxime eorum sententia probanda sit, qui propter legis Langobardorum similitudinem[4]) illam summam solum certum finem, quem excedere non liceat, statuere arbitrantur[5]).

Pro viduae autem mundio non sicut apud Langobardos[6]) dimidium pretium, sed aequalem summam, quam quae a priori marito data est, solvi oportet. Quodsi mundoaldus secundis nuptiis consentire et pretium accipere non vult, cum consensu parentum suorum vidua nubere potest[7]), sed ita, ut priori mundoaldo etiam post nuptias illam summam a marito poscere liceat[8]).

L. Sax. 43: »Qui viduam ducere velit, offerat tutori pretium emptionis ejus, consentientibus ad hoc propinquis ejus. Si tutor abnuerit, convertat se ad proximos ejus, et eorum consensu accipiat illam, paratam habens pecuniam, ut tutori ejus, si forte aliquid dicere velit, dare possit, hoc est solidos 300.«

---

[4]) Cf. pag. 16.

[5]) Eichhorn. I. 363. Gaupp. 137 sq. Kraut. I. 317. Rive. 51.

[6]) Cf. pag. 9 sq. 16. — [7]) Cf. pag. 5.

[8]) Apud Langobardos mundoaldus viduae consentire denegans et mundium et metam perdit. Roth. 182.

Sed si quis mulierem consentientem (nam ea non consentiente matrimonium consistere nequit) emptione non facta uxorem duxit, imprimis mundoaldo[9]) et, si desponsata est, sponso poenae loco trecentenos solidos, i. e. summam pretio emptionis aequalem, solvere[10]), deinde mundium facere cogitur[11]).

L. Sax. 40: »Uxorem ducturus 300 solidos det parentibus ejus. Si autem sine voluntate parentum, puella tamen consentiente, ducta fuerit, bis 300 solidos[12]) parentibus ejus conponat. Si vero nec parentes nec puella consenserunt, id est si vi rapta est, parentibus ejus 300 solidos, puellae 240[13]) conponat eamque parentibus restituat.«

Eod. 49: »Qui feminam ab alio desponsatam rapuerit, 300 solidos patri puellae, 300 sponso conponat et insuper 300 solidis emat eam.«

§ 2.

De jure Anglosaxonum[1]).

Procopius in libro de bello Gothico IV. 20. Radigerum, regis Varnorum filium, sponsae suae, sorori regis

---

9) Si puellam in matris latere versantem rapuit, praeterea matri eadem summa componenda est. L. Sax. 49. i. f.

10) Cf. pag. 3. not. 10.

11) Cf. pag. 4. not. 16.

12) 300 compositionis causa, 300 pro mundio.

13) i. e. weregildum suum. L. Sax. 14. Gaupp. 49 sq. Cf. cap. V. § 1. not. 4 et 6. Quum ingenuorum weregildum apud Saxones 240 solidorum sit, hoc loco comprobatur, illud maximum pretium 300 solidorum ad ingenuos, non ad nobiles pertinere.

1) Reinh. Schmid, gesetze der Angelsachsen. 2. aufl.

Anglosaxonum, »sponsaliorum nomine grandem pecuniam dedisse« narrat. Sed quum apud Anglosaxones ante Alfredum regem mundoaldum ipsum mundii pretium accepisse multis locis confirmetur[2]), aut Procopium hac in re errare aut in mulieribus regalis generis rem aliter se habuisse accipiendum est. Omnium autem illius aevi diplomatum, quae Kemble edidit[3]), nullum invenitur, ex quo reges pretium sponsis ipsis, non mundoaldis solvisse intelligi posset.

Procopium enim de pretio emptionis loqui verbis sequentibus ostenditur:

»insulanae, filii mei sponsae, remittite nuntium et, quidquid pecuniae a nobis sponsaliorum nomine illa accepit, servare sinite idque habere sibi ignominiae pretium, prout communis lex hominem jubet. Radiger autem filius novercam — ducat.«

---

[2]) Aethelb. 31: »ođer wîf his âgenum scaette begete.« [»alteram feminam suis rebus emat.«] Eod. 77: »Gif man maegđ gebigeđ, ceâpî geceâpod sy.« [»Si quis puellam emit, pretio empta sit.«] Eod. 82: »Gif man maegđman nêde genimeđ, þâm âgende 50 scillinga and aeft aet þâm âgende sinne willan aet gebicge.« [»Si quis virginem vi rapit, habenti 50 solidos (i. e. mundoaldo 50 sol. solvat) et postea eam emat secundum voluntatem habentis (i. e. mundoaldi.)«]. Inae leg. 31: »Gif mon wîf gebycge and siô gyft forđ ne cume.« [Vet. Versio: »Si quis emat sibi feminam pretiumque non compleat.«] Cf. Gaupp. 181. Phillips gesch. des ags. rechts. 131. Quamquam in Germania etiam tum, quum mundii emptio omnino ignorabatur, »ein weib kaufen« nihil nisi »uxorem ducere« significabat (RA. 421.), in locis supra notatis »faemnan ceapan« veram mundii emptionem significare quum legis Sax. similitudine, tum eo confirmatur, quod Cnutus rex feminarum emptionem vetuit; nam si non mundoaldus, sed sponsa pretium accepisset, quid est, quod feminas »pro pecunia dari« noluerit?

[3]) Kemble cod. dipl. aevi Saxonici. Tomi V. 1839. sqq.

Quod etiam hoc capite libri poenitentialis Theodori comprobatur.

Poen. Theod. II. 12, 34. (Wasserschleben. 216): »Illa autem disponsata, si non vult habitare cum eo viro, cui est disponsata, reddatur ei pecunia, quam pro ipsa dedit, et tertia pars addatur, si autem ille noluerit, perdat pecuniam, quam pro illa dedit.«

Eadem autem sententia lege 77. Aethelb. confirmatur, qua pretium sponso reddi jubetur, si sponsa corrupta reperiatur:

»Gif man maegđ gebigeđ, ceâpî geceâpod sy, gif hit unfâcne is; gif hit þonne fâcne is, eft þaer aet hâm gebrenge and him man his scaet âgefe.«

[»Si quis puellam emit, pretio empta sit, nisi quid fraudis subest; si quid fraudis subest, eam domum reducat et pecuniam suam recipiat.«]

Quodsi cum his locis quasdam Alfredi leges comparaverimus, apud Anglosaxones Alfredi tempore ingenuarum feminarum pretium 60, mediocrium 100, nobilium 120 solidorum fuisse intelligemus.

Alfr. leg. 10: »Si quis fornicetur cum uxore hominis twelfhindi, emendet ipsi marito 120 solidos. Homini sexhindo 100 sol., cirliscro 60 sol. emendet.«

Eod. 11, 3: »(Si quis cum cirliscra femina) concubuerit, 60 sol. emendet. Si hoc in nobilius oriunda muliere contigerit, crescat emendatio sicut ejus natalis ingenuitas erit.«

Alfr. leg. 18: »Si virgo desponsata corrumpitur, si cirliscra est, emendet plegio 60 solidis.«

Circa annum 600 autem pretium 50 solidorum fuisse videtur[4]).

Aethelb. 82: »Si quis virginem vi rapit, habenti 50 solidos (i. e. mundoaldo 50 sol. solvat) et postea eam emat secundum voluntatem habentis (i. e. mundoaldi[5]).«

Haec vero summa legitima, si mundoaldus cum sponso de pretio convenit, locum non habet. Plerumque enim pretii quantitas in desponsatione constituitur[6]) et a sponso praedibus firmatur.

Inae leg. 31: »Be þôn þe mon wîf bycgge and þonne siô gyft tôstande[7]). Gif mon wîf gebycgge and siô gyft forđ ne cume, âgife þaet feoh and forgielde and gebête þâm byrgean swâ his borg-bryce sîe.« [V. V. »De emente sibi feminam et pretium retinente. Si quis emat sibi feminam pretiumque non compleat, reddat ipsam pecuniam et persolvat et emendet plegio, sicut erit infractio plegii sui.«]

Paulatim autem etiam apud Anglosaxones factum est, ut vera mundii emptio magis magisque evanesceret pretiumque sponsae, non mundoaldo competere videretur. Nam si mundii pretium (ceap, sceat, gyft), apud Burgundiones »wittemon«, apud

4) Cf. loca pag. 3. n. 10 citata.

5) Quod praeterea Aethelb. 83 dicitur: »Gif hiô ôđrum maen in sceat bewyddot sî, 20 scill. gebête.« [V. V. »Si alteri viro bonis desponsata est, 20 scill. componat.«] fortasse ad haec Poenitentialis Theodori verba supra cit. spectat: »reddatur ei pecunia quam pro ipsa dedit, et tertia pars addatur.«

6) Aethelb. 82. »et postea eam emat secundum voluntatem habentis.«

7) Cf. L. Sal. 44: »Si vero istud non fecerit et sic eam acceperit, malb. reipus nihil sinus (i. e. reipus ni chalesinus).« Vide cap. IV. § 2. not. 18.

Frisioues »wetma«, apud Alamannos »wideme«, medio aevo »witthum« vocatum, apud Anglosaxones etiam »weotuma« vocabulo significari concesseris[8]), Alfredi regis temporibus (a. 871—901) id non jam mundoaldo, sed sponsae obvenisse non negabis. Alfredus enim, ut dotem Judaeorum significet, vocabulo »weotuma« utitur.

Alfr. Inst. 12. (II. Mos. c. 21 v. 9sq.): »Gif þonne he âlêfe his suna mid to hâemanne, dô hiere gyfta and lôcige þaet hiô haebbe hraegl, and þaet weorđ sîe hire maegđhâdes, þaet is se weotuma âgife he hire þone.« [V. V. »Si autem permiserit filio suo rem cum ea habere, det ei donum, videat ut illa habeat vestitum et pretium pudicitiae ejus, hoc est dotem ei suam largiatur.«]

Eod. 29. (II. Mos. c. 22 v. 16sq.): »Gif hwâ fâemnan beswîce unbeweddode and hire mid slâepe, forgielde hîe and haebbe hî siđđan him tô wîfe. Gif þâere fâemnan faeder hîe þonne sellan nelle, âgife he þaet fioh aefter þâm weotuman.« [Cf. c. 1. X. de adult. V. 16: »Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam dormieritque cum ea, dotabit eam et habebit uxorem. Si vero pater virginis dare noluerit, reddat pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.«]

Atenimvero usque ad annum 1028 vera mundii emptio non omnino evanuerat, tum autem Cnutus praecepit:

Cn. II. 74: »And ne nyde man nâder ne wîf ne mâeden tô þâm, þe hyre sylfre mislîcige, ne wiđ sceatte ne sylle, buton he hwaet âgenes þances gyfan wille«. [V. V. »Et nunquam cogatur virgo vel femina

[8]) Cf. cap. V. § 1. not. 18.

ad eum qui sibi displiceat, nec pro pecunia detur, nisi idem aliquid sponte sua dare velit.«]

Itaque Cnuti temporibus quaeque mulier a conjuge praeter morgengabam etiam weotumam accipiebat.

Cn. II. 73: »And sitte aelc wuduwe werleás twelfmônađ, ceose syđđan þaet heô sylf wille; and gif heô binnan geâres faece wer geceôse, þonne þolige heô þaere morgengyfe and ealra þaera âehta, þe heô þurh âerran wer haefde.« [V. V. »perdat morgengifam suam et omnem pecuniam, quam ex priori marito habebat.«]

Quod etiam duobus illius aevi instrumentis a Kemble editis comprobatur.

Charta a. 1023. (Kemble. IV. No. 738): »Her swutelađ on đisum gewrite ymb đa forwerda đe Wulfric and se arcebisceop geworhtan, đa he begeat đaes arcebisceopes swuster him to wife. Đaet is, đaet he behet hyre đaet land aet E. and aet R. hire daeg, and behet hire đaet land aet C., đaet he wolde hit hyre begytan þreora manna daeg aet đam hirede on W., and sealde hyre đaet land aet E. to gyfenne and to syllenne đam đe hire leofest waere on daege and aefter daege, đaer hire leofest waere and behaet hire 50 mances goldes and 30 manna and 30 horsa. Nu waes đyses to gewitnesse Wulfstan etc. etc. Nu syndon to đysam forewordan twa gewrita etc.«

[»Hic manifestatur in hac charta conventio, quam W. et archiepiscopus fecerunt, quum acquireret archiepiscopi sororem sibi ad uxorem. Hoc est, quod promisit ei terram ad E. et ad R. in dies vitae ejus, atque promisit ei terram ad C., ut vellet eam ei ac-

quirere in trium hominum vitas a conventu in W., et tradidit ei terram ad E. ad dandum et ad tradendum cuilibet in dies ejus et post dies, quicunque ei maxime cordi esset; et promisit ei 50 mancos auri et 30 mancipia et 30 equos. Nunc fuerunt hujus testes Wulfstan etc. etc. Hujus conventionis sunt dua instrumenta etc. etc.«]

Charta a. 1016—1020. (Cod. IV. 732. Grupen. 253): »Her swutelađ on đysan gewrite đa foreward, đe Godwine worhte wiđ Byrhtric, đa he his dohter awogode. Đat is aerest đaet he gaef hire anes pundes gewihta goldes wiđ đone đe heo his spaece underfenge, and he geuđe hire đaes landes aet Straete mid eallan đon đe đaerto herđ, and on B. ođer healf hund aecera, and đaerto þrittig oxna and twentig cuna and tyn hors and tyn þeowmen. Đis waes gespecen aet C. beforan Cnute cincge, on L. arcebisceopes gewitnesse and on đaes hiredes aet cristes circan etc. — — and đa man đaet maedan fette aet Byrhtlingan, đa eode đyses ealles on borh A. etc. — — And swa hwaeđer heora laeng libbe etc.«

[»Hic manif. in hac ch. conv., quam G. fecit cum B., quum ejus filiam peteret. Hoc est primum quod dedit ei unam libram auri pro eo quod ejus conditionem accepit, et dedit ei terram ad S. cum omnibus pertinentiis, et ad B. alia 50 jugera cum 30 bobus et 20 vaccis et 10 equis et 10 mancipiis. Hoc transactum fuit ad C. coram Cnuto rege, testibus L. archiepiscopo et conventu ecclesiae Christi etc. — — et ubi puellam tradiderunt ad B., intercesserunt pro his omnibus A. etc. — — Et uter eorum alterius superstes sit etc. etc.«]

Itaque quum olim mundoaldus pro eo, quod sponso consentiebat et mundium tradebat, pretium acciperet, Cnuti temporibus sponsa weotumam, inter mundoaldum et sponsum constitutam praedibusque firmatam, pro eo acciepiebat, »quod sponsi conditioni annueret.« Eandem autem sententiam etiam vetus quidam tractatus de sponsalibus contrahendis (R. Schmid. l. c. App. VI.) profert:

c. 3. (V. V.) »Postea dicat bridguma i. e. sponsus, quid ei dare disponat, cur ejus eligat voluntatem [»hwaes he hire geunne wiđ þâm, þet heô his willan geceôse«], et quid ei destinet, si superfixerit ipsum« [»hwaes he hire geunne, gif heô leng sy þonne he«].

c. 5. »Totum hoc vadio confirmetur et amici sui plegient.«

Refutatur igitur eorum sententia, qui haec verba »cur ejus eligat voluntatem« ad morgengabam pertinere arbitrantur[9]). Morgengabam enim non his, sed sequentibus verbis »quid ei destinet si superfixerit ipsum« et his: »Et uter eorum alterius superstes sit« etc. significari in altera hujus dissertationis parte demonstrabitur[10]). Itaque ne ea quidem, quae in cap. 2. ejusdem tractatus[11]) de fosterlean (nährlohn) dicuntur, et quibus R. Schmid et Weinhold pretium emptionis significari putant[12]), ad pretium pertinere videntur, sed magis quam Phillips[13]) profert ap-

---

[9]) R. Schmid l. c. in glossario s. v. morgengabe. Phillips gesch. d. ags. rechts. 131. Zöpfl. § 81 c. not. 5.

[10]) Ginoulhiac. 211. Cf. Pars II. cap. III. § 2.

[11]) »Postea sciendum est, cui fosterleanum pertineat; vadiet hoc bridguma et plegient amici.«

[12]) Schmid in nota ad h. l., Weinhold 219.

[13]) Phillips l. c. 130.

probanda est sententia: sponsum mundoaldo praedes dare, ut »conjugem nutriat[14]).«

Ergo weotuma non jam pretii emptionis, sed dotalitii naturam habebat, quam etiam post Normannorum invasionem servabat. Normanni enim in Francia simile institutum dotalitii a sponso sponsae ante ostium ecclesiae constituendi cognoverant. Quam ob causam etiam in Britannia mox ab omnibus recipiebatur, ut weotuma, proprio nomine »dos« appellata, sacerdote interprete ante ostium ecclesiae promitteretur[15]).

Bracton de leg. et consu. Angl. II. 39. § 1: »Dos est id, quod liber homo dat sponsae suae ad ostium ecclesiae propter nuptias futuras.«

Eod. § 6: »Fit donatio propter nuptias quod sponsus dat sponsae ante ostium ecclesiae et de qua hic agitur die desponsationis. Et hoc proprie dicitur dos mulieris secundum consuetudinem Anglicanam.«

---

14) Hoc etiam eo confirmatur, quod formula quaed. Alam. prope eandem sententiam, quam cap. 1 et 2 illius tractatus de sponsalibus profert. Cap. 1. App. VI. (ap. Schmid): »Si quis virginem vel viduam ducere velit et hoc illi placeat et amicis suis, tunc rectum est, ut bridguma — in primis promittat —, quod eo modo quaerat eam, ut secundum Dei rectum pertenire velit, sicut sponsus debet legitimam sponsam.« (Cap. 2. vide not. 11.) Form. Rhen. (ed. Wysz) 12: »complacuit mihi ut filiam meam N. in conjugium darem N. —, et ille justis legibus utatur nec eam obprimat servitute famularum sed ut carnem suum nutriat et foveat etc.«

15) Hoc fortasse jam Cnuti temporibus in usu erat. Cf. chartam supra (pag. 30) notatam: »hoc transactum fuit ad C. coram C. rege testibus L. archiepiscopo et conventu ecclesiae.« Cf. cap. IV. § 2. not. 18.

§ 3.

De jure Frisionum[1]. Ex lege Frisionum id solum intelligitur, quamque feminam mundoaldi potestati subjectam esse, sine cujus consensu nulli eam ducere liceat. Quod qui fecit, mundoaldo pro lita decem, pro ingenua viginti, pro nobili femina triginta solidos dare cogitur.

L. Fris. IX. 10: »Si autem puella lita fuerit — domino ejus 10 solidos componat.«

Eod. 11: »Si liberam foeminam extra voluntatem parentum ejus vel eorum, qui potestatem ejus habent, uxorem duxerit, componat tutori ejus sol. 20 i. e. denarios 60.«

Eod. 12: »Si autem nobilis erat foemina, solidos 30.«

Eod. 13: »Si lita fuerit, solidos 10 domino ejus persolvere cogatur.«

Nullo autem modo docemur, num sponsus mundium pretio soluto a mundoaldo emat. Sed quum secundum posteriores Frisionum leges mundoaldum pro feminae mundio a [illegible]so quoddam pretium, »mundsket« (i. e. mundii pretiu[illegible] »wetma« (alias »werthmond«) appellatum[2]), accip[illegible]stet, dubitari non potest, quin legis Frisionum q[illegible]ue tempore res item se habuerit.

XXIV const. Fris. c. 22. (Richth. 75): »etheles wives werthmond stont bi achta pundon and bi

---

[1]) Richthofen, friesische rechtsquellen. Berl. 1840.

[2]) Vocabulo »wetma« vel »werthmond« idem, quod apud Anglosaxones »weotuma,« apud Burgundiones »wittemon« vocatur, i. e. mundii pretium significatur. Richth. altfries. wb. s. v. werthmond. Cf. cap. V. § 1. not. 18.

achta enzon and bi achta skillingon and bi achta panningon.«

Jus Hunsing. § 31. (R. 335): — »sa wele hire friudelf se ierne hebba afte, sa agerne mundsket be riuchte te winnanne et hire erra suiarengem ther him bi riuchte lavegad is[3]); sa isde mundsket threttene scillingar and threttene penningar — thet is thi riuchta mundsket[4]).«

Eod. § 32: »Wersa ma ene frowa afte deth — andti kerenase capad het mitha riuchta mundscete etta riuchta foremunda etc.«

Jus Westerl. § 8. (R. 389): »Fant mondscypes lawa an der wedua. Dit is riucht datter nimmen aech dyne mond oen der wedue dan her soen, so fyr als hi jerich se, jefta dy selva deer dan da aeftingha aech; lywet ny dy soen, so aegh hy dan des mondscipes fyower penninghen min dan twe mark. — Fant mondschet der famna. Der famna riucht is, dy ien, deersa aeftighet, tueer schillingen des mondes[5]).«

Eod. § 9: »Dit is riucht, ieft hy dyne mondschet naet lasta enwille, ende hi dat wyf toe aefta

[3]) Secundum hunc locum pretium solum in potestate mundoaldi, in dominio autem mulieris esse videtur, ita ut secundus maritus id a prioris mariti parentibus vindicet.

[4]) Riuchta mundsket est pretium legitimum.

[5]) Viduae igitur »mondscip« duarum marcarum, detractis quatuor penningis, puellae autem pretium duorum solidorum est. Cui Salicorum institutiones congruunt, qui pro puella nubente unum sol. et denar., pro vidua 3 sol. et 1 denar. solvunt. RA. 427. Cf. cap. IV. § 2. not. 24.

on fucht, so schil hy — dyne mondschet laesta — tvifald[6]).«

Jus Westerl. Rudolfsbuch. § 13. (Richthofen 428): »hverso een man nimpt een frowa — ief di man dan sterft eer da kinden ierich sint, soe aegh syn broder iefta syn broeders soen da beschirmense — an der frouwa —, hit ne se dat dio frouwe ene oderne man nime, soe aegh hy dis mondschettes fan dera frouwa een colensche pond, also fyr soe hy riucht mond habbe wessen der frouwa ende der kyndena.«

CAPUT III.

De jure Burgundionum.

Apud Burgundiones sponsum mundoaldo quoddam mundii pretium dare omnes consentiunt[1]). Nuptiis autem contra legem sine mundoaldi consensu celebratis triplum pretium mulctae nomine solvendum est,

L. Burg. 12, 3: »Si vero puella sua sponte expetierit virum et ad domum illius venerit et ille se cum illa miscuerit, nuptiale pretium in triplum solvat.« raptorem vero puellae eandem summam sexies componere oportet.

Eod. 12, 1: »Si puella, quae rapta est, corrupta redierit ad parentes, sexies puellae pretium raptor exsolvat.«

---

6) Cf. pag. 14. 26.

1) Beseler. 198. Eichh. I. 315. Gaupp. 174 sq. RA. 424. Königsw. 403. Kraut. I. 302 sqq. Rive. 29 sqq. 48. Walter. II. 126. Zöpfl. § 81*a*.

Simplum denique pretium is, qui uxorem injuste repudiavit[2]), aut qui cum femina concubuit[3]) dare cogitur. Idem autem peccatum etiam 15 solidis componendum esse dicitur,

Eod. 44, 1: »Si qua Burgundionis ingenui filia, priusquam marito tradatur, cuicunque — occulte adulterii se foeditate conjunxerit — is qui in ejus corruptione fuerit accusatus — inlatis 15 sol. nullam calumniam patiatur« ita ut feminae ingenuae pretium 15 solidorum esse cognoscamus[4]). Quod etiam alio loco, quo praeterea nobilium feminarum pretium 50 solidorum esse docemur, confirmatur.

L. Burg. add. I. 14: »De wittemon. Quicunque Burgundio optimatis aut mediocris sine ordinatione patris cum alicujus filia se copulaverit, jubemus, ut tripla solutione optimatis ille, qui fuerit, patri ipsi, cujus filiam copulavit et ei ante scire non fecit nec consilium petiit, 150 solidos cogatur exsolvere. — — Leudis vero, si hoc praesumpserit facere, similiter in tripla solutione hoc est sol. 45 solvat.«

Hujus autem capituli inscriptione »de wittemon«, assumptis aliis legis Burgundionum locis[5]), mundii pretium apud Burgundiones »wittemon« appellari ostenditur[6]).

---

[2]) L. Burg. 34, 2: »Si quis uxorem suam sine causa dimiserit, inferat ei alterum tantum, quantum pro pretio ipsius dederat.«

[3]) Eod. 61: »Quaecunque mulier natione barbara ad viri coitum spontanea voluntate forte convenerit, nuptiale pretium in simplum tantum ejus parentibus dissolvatur.«

[4]) Cf. pag. 3. not. 10. — Triginta solidos, i. e. duplex pretium, is solvere cogitur, qui mulierem ingenuam decapillavit. L. Burg. add. I. 5.

[5]) L. Burg. 66. 69. 86, 2.

[6]) Cf. cap. V. § 1. not. 18.

In desponsatione sponsus, postquam imprimis mundoaldi consensum petiit, wittemonem ei enumerat. Vidua autem nuptura, quoniam sui juris neque cujusquam mundio subjecta est[7]), pretium ipsa accipit[8]).

Atenimvero si puella, quae in patris vel fratris mundio consistit, alicui nubit, omnino in mundoaldi arbitrio est, partem aliquam wittemonis ei restituere velit necne[9]). Quo mortuo mundoaldus, non tam propinqua cognatione cum ea conjunctus, wittemonem antea solutum accipit, sed ita ut feminae tertiam ejus partem restituat.

L. Burg. 86, 2: »De wittemon vero si demandaverit pater ut non quaeratur, demandatio ejus non valeat, sed sicut lex alia expressit, proximus parens accipiat. 3. Ita ut de eo quod acceperit tertium solidum in ornamentis puella accipiat.«

Eadem autem wittemonis pars etiam nupturae puellae a mundoaldo, exceptis patre et fratre, restituenda est, qui

---

7) Cf. pag. 5.

8) L. Burg. 42, 2: »Ceterum si (vidua) emenso anno vel biennio maritum voluerit accipere, omnia — quae de priore marito habuit derelinquat et pretium quod de nuptiis ejus inferendum est accipiat.« Eod. 52: — »quoniam A. post mariti prioris obitum in sua potestate consistens se antedicto F. non solum ex parentum consensu verum etiam proprio arbitrio et voluntate donaverit et majorem nuptalis pretii partem sponso adnumerante perceperit etc.« — Nihil autem ei viduae debetur, quae non desponsata sine parentum consilio alicui nupserit. L. Burg. 44, 2: »Quodsi mulier vidua cuicunque se sponte miscuerit, — nec statutum percipiet numerum solidorum etc. — quia justum est, ut — nec matrimonio sit digna nec praemio.« Vocabulum »praemium« idem significat, quod meta Langobardorum. Cf. pag. 12.

9) Kraut. I. 306. Gaupp. 175.

praeterea, altera tertia parte retenta, matri vel sororibus sponsae tertiam partem dare cogitur.

L. Burg. 66, 1: »Puella quae marito traditur patrem et fratres non habens, nisi patruum et sorores, de wittemon tertiam partem patruus accipiat et alteram tertiam sorores sibi noverint vindicandum. — 2. Si vero puella sine patre maritum accepit, fratres non habens, placuit ut de wittemon tertiam partem mater accipiat et alteram tertiam promixiores parentes. 3. Si mater non fuerit, tertiam illam sorores accipiant.«

Pretium igitur mundoaldo solutum ne muliere quidem sine liberis mortua repeti potest[10]), sed post mundoaldi mortem proximo ejus obvenit[11]). Tertiam autem wittemonis partem, quam mulier »in ornamentis« i. e. maritagii loco accipit[12]), et quae ipsa quoque wittemon appellatur[13]), ea

[10]) L. Burg. 14, 3: — »si mulier maritum habens sine filiis de hac luce transierit. maritus defunctae uxoris pretium, quod pro illa datum fuerit, non requirat.«

[11]) Eod. 86, 2. (vide pag. 37).

[12]) Eod. 86, 3: »Ita ut de eo, quod acceperit, tertium solidum in ornamentis puella accipiat.« Huc etiam l. Burg. 86, 1 pertinere videtur: »Si pater filiis dimittat malam heredam, si vivus dare voluerit, cui voluerit donet, postea ad filias suas si ille dederit nemo requirat.« Vocabulo enim »hereda« ornamenta muliebria significari videntur, quae l. Angl. et Werin. (ed. Merkel) II. 4. etiam »rhedo,« in posterioribus autem fontibus »gerade« appellantur, quum vocabulum »mala« ad vocabulum »malschatz« (arrha sponsalitia) spectet. Cf. Homeyer, über die heimat nach altd. recht, abh. d. akad. d. wiss. 1852. pag. 52. — Feminae regalis generis aut totum wittemonem aut certe illa ornamenta a sponso accipere videntur. Cf. Aimoin. de gest. Franc. I. 13: »Dominus meus rex Francorum — desiderat te habere conjugem. Ecce annulus ejus et cetera ornamenta sponsalia. — munera puellae of-

mortua, nisi aliud de ea decrevit, filiae »absque ullo fratris fratrumque consortio« relinquit[14]).

Quodsi marito mortuo vidua alteri marito nubere vult, wittemonem suum, i. e. tertiam wittemonis partem, si quam, quum primo nuberet, accepit, prioris mariti heredibus restituere cogitur, pretium autem a secundo viro datum ipsa totum accipit et ne postea quidem, tertio viro desponsata, amittit[15]).

L. Burg. 69: »Mulier quae ad secundas nuptias traditur, wittemonem ejus a prioribus parentibus mariti

---

fert, de nuptiis jam securus. — — — 14. — — Requirat, inquiunt, quid puellae desideret animus et utrum eidem regis Francorum delatus fuerit annulus. Quodsi est ut haec illa velit et forte jam sponsalia munera suscepit, reniti non poteris, quin potius legatis eam tradere maturabis. — — Inquisita puella fatetur —, se suscepisse dona, regisque copulam mente velle cupida.«

[13]) Vide not. 15.

[14]) L. Burg. 14, 5: — — »nihil illa alienandi potestatem habitura, nisi forsitan quod ex matris bonis i. e. in recellulis vel ornamentis aut ex suo potuerit labore conquirere.« Eod. 51, 3: »Ornamenta quoque et vestimenta matronalia ad filias absque ullo fratris fratrumque consortio pertinebunt. 4. Quod quidem de his ornamentorum vestimentorumque speciebus circa filias ex lege servabitur, quarum mater intestata decesserit. Nam si quid de propriis ornamentis vestibusque decreverit, nulla in posterum actione cassabitur.« Cf. cap. IV. § 1. not. 19.

[15]) Hanc loci obscurioris interpretationem, et legis Langobardorum et legis Salicae similitudine confirmatam, viro illustrissimo Kraut (I. 305 sq.) debemus. Nam quominus illum locum ita interpretemur, ut, vidua secunda vota ineunte, mariti prioris parentes, in tertia autem desponsatione viduam ipsam wittemonem accipere dicamus (Walter. II. 137. Weinhold. 210), locis supra (not. 8) citatis prohibemur, ex quibus quamque viduam et sui juris esse et wittemonem ipsam accipere enucleate apparet.

vindicetur. Si vero tertium maritum accipere deliberat, wittemon quod maritus dederit mulieri proficiat.«

CAPUT IV.

De jure Francorum.

§ 1.

De dote. Apud Langobardos, Saxones, Anglosaxones, Burgundiones eum, qui aut feminam corruperit aut non desponsatam duxerit aut desponsatam dimiserit aut quocunque alio modo mundium violaverit, poenae loco eandem summam quam pro mundio empto solvere jam supra vidimus[1]). Idem autem apud Francos quoque in usu esse ex his intelligitur locis.

Poenit. Columb. B. c. 14. (Wasserschleben 357): »Si quis laicus de alterius uxore filium genuerit, id est adulterium commiserit, thoro proximi violato, tribus annis poeniteat — dans insuper pretium pudicitiae[2]) marito uxoris violatae.« (Cf. Eod. 365.)

Eod. c. 16. (W. 357): »Si quis autem fornicaverit de laicis cum mulieribus a conjugio liberis, id est viduis vel puellis, — reddito tamen humiliationis ejus pretio[3]) parentibus ejus, poeniteat.« (Cf. Eod. 474.)

Quod pretium pudicitiae vel humiliationis apud Ripuarios 50, apud Salicos 62½ solidorum est.

L. Rip. 35, 2: »Si quis cum ingenua puella moechatus fuerit, 50 solidis culpabilis judicetur.«

---

1) Vide pag. 3. not. 10.

2) »þaet weorđ hire maegdhâdes.« Vide pag. 28.

3) »ignominiae pretium.« Vide pag. 25.

L. Sal. (ed. Merkel.) 13, 6: »Si quis sponsam alienam tulerit et eam sibi in conjugio copulaverit, 2500 dinarios qui faciunt solidos $62\frac{1}{2}$ culpabilis judicetur.« (Cf. Eod. 13, 1. 3.)

L. Sal. 15: »Si quis cum ingena puella per virtutem mechatus fuerit — 2500 din. qu. f. sol. $62\frac{1}{2}$ culp. jud.«

Eod. nov. 274: »Si quis filiam alienam sponsaverit et se retraxerit et eam noluerit prindere, — 2500 din. etc.«

Sed si femina corrupta lita, non ingenua est, quum litorum compositiones omnino dimidiae ingenuorum sint[4]), secundum legem Salicam non $62\frac{1}{2}$ sed 30 solidi domino solvendi sunt.

L. Sal. nov. 39: »Si quis litam alienam ad conjugium sotiaverit — 1200 din. qu. f. solidos 30 culp. jud.«

Eaedem autem summae $62\frac{1}{2}$ et 30 solidorum secundum legem Salicam 71 (edict. Chlodov. a. 500 Mon. II. 3.) dotis nomine mulieribus a maritis dari solere videntur. Nam quamvis haec lex non de dote 30, sed 25 solidorum loquatur, tamen pro 25 solidis 30 esse pônendos, assumptis iis, quae supra de litis diximus, inde intelligitur, quod illius summae decima pars non $2\frac{1}{2}$, sed 3 solidorum esse dicitur.

L. Sal. 71: »Et si in dotis 25 solidos accepit, 3 solidos achasium parentibus — donet. — — Si vero $62\frac{1}{2}$ solidos in dotis accipiat, solidos 6 in achasium dentur, hoc est 5 per decinus sol. singuli in achasium debentur.«

---

4) L. Sal. 42, 3. 71. 75, 4. Pari pro impari numero posito dimidium $62\frac{1}{2}$ solidorum non $31\frac{1}{4}$ sed 30 sol. aestimatur. Eodem modo decima pars illius summae non $6\frac{1}{4}$, sed 6 solidorum est.

His autem optime congruunt ea, quae in lege Ripuariorum de dote praecipiuntur.

L. Rip. 37: »De dotibus mulierum. Si quis mulierem desponsaverit, quicquid ei per tabularum seu chartarum instrumenta conscripserit, perpetualiter inconvulsum permaneat. — Si autem per seriem scripturarum ei nihil contulerit, si virum supervixerit, quinquaginta solidos in dotem recipiat.«

Itaque hoc constare videtur: mundii pretium in Francis non jam mundoaldo, sed sponsae dotis nomine competere et dotis causa in desponsatione a sponso promitti[5]); nulla autem dote constituta conjuge mortuo viduam dotem legitimam apud Ripuarios 50, apud Salicos 62½ vel, si lita sit, 30 solidorum accipere[6]). Quae legitima dos ei solum mulieri competit, quae »virum supervixerit«. Nam si marito superstite decesserit, heredes ejus dotis nomine a marito nihil petere possunt[7]).

Dotem autem vetus mundii pretium esse quum jam ex iis, quae supra diximus, apparet, tum eo confirmatur, quod ad quodque legitimum matrimonium dote opus est. Nam qui feminam non desponsatam duxit, etiam postea dotem constituere cogitur[8]).

---

[5]) Gaupp. 173. Ginoulh. 198. Königsw. 403. 405. Kraut. I. 312. Schäffner I. 261. Pardessus 688. dote legis Salicae non pretium solum, sed omnino donationes a marito conjugi factas significari putat, ita ut et pretium et morgengaba eo vocabulo comprehendantur.

[6]) Apud Langobardos item viduae metam legitimam, cui nomen sit »justitiae,« competere jam supra vidimus. Cf. pag. 18.

[7]) Ginoulh. 196. Königsw. 405. Pardessus. 683.

[8]) Königsw. 415. Cf. pag. 4. not. 16.

Fragm. hist. Franc. (Du Chesne II. 404): »Karolus — — concubinam suam Richildem desponsatam et dotatam in conjugem duxit.«

Form. Marc. II. 16: »Dum et te — absque tua vel parentum tuorum voluntate rapto scelere meo conjugio sociavi — unde vitae periculum incurrere debui, sed — vitam obtinui, sic tamen, ut, quod tibi in tanto dono vel in dotis titulum ante diem nuptiarum, si te disponsatam habuissem, conferre debueram, per hanc epistolam compositionalem aut, si convenit, cessionem firmare deberem[9]).«

Quod nisi fecit, neque matrimonium legitimum liberique naturales habentur[10]).

Form. Marc. app. 52: »— femina aliqua bene ingenua ad conjugium mihi sociavi uxore, sed qualis causas vel tempora me oppresserunt, ut chartolam libelli dotis ad eam, sicut lex declarat, minime excessit facere, unde ipsi filii mei secundum legem naturales appellantur.«

Plerumque dos in desponsatione ita constituitur, ut sponsus vel pater ejus[11]), postquam cum mundoaldo de dote convenit[12]), aut die nuptiarum se eam daturum esse

---

[9]) Form. Sirm. 16. Lindenbr. 82. Form. Salzburg. 19. (ed. Rockinger Quellen z. bair. gesch. VII. 1858).

[10]) Cf. pag. 3.

[11]) Form. Marc. II. 15. Lindenbr. 76.

[12]) Form. Lindenbr. 75. (Salzb. 7.) »Dum taliter parentibus nostris utriusque partis complacuit atque convenit, ut ego te desponsare deberem, similiter complacuit nobis atque convenit, ut tibi aliquid in dotis titulum condonare deberem.« Form. Baluz. 49. Sirm. 14. Cf. Pard. 668.

charta scripta promittat[13]), aut per festucam et andelangum statim tradat[14]), ea tamen conditione, ut nuptiis non secutis res suas recipiat.

Legitimam igitur dotem mulieris ante conjugem mortuae heredibus nullo modo competere jam supra vidimus. Nunc autem ad quem dos constituta matrimonio soluto pertineat quaeramus.

I. Quodsi mulier durante conjugio decesserit, liberi in eo matrimonio procreati dotem accipiunt, usufructu in quibusdam casibus patri reservato.

L. Sal. 72. (Ed. Chlod. a. 500 § 2, Mon. II. 3): »Si quis uxorem amiserit et aliam habere voluerit, dotem quem primarie uxorem dedit secunda ei donare non licet. Si tamen adhuc filii parvoli sunt, usque ad perfectam aetatem res uxores anteriores vel dotis causa (sc. caute) judicare. sic vero de has nec vendere nec donare praesummat.«

---

13) Vita St. Berthae. (Bouquet. III. 621): »Cunctum etiam legitimum ordinem dotis ut lex Francorum continet promisit se fideliter daturum.« Form. Sirm. 14. (Lindenbr. 78). »Haec omnia superius jam dicta per hunc titulum libelli dotis diebus nuptiarum tibi sum impleturus et traditurus.« Charta a. 827. (Baluz. II. 1427.) »si nos Deus carnali conjugio sociari voluerit, in die nuptiarum tibi dono, trado atque transcribo ad possidendum.« Cf. Beseler. 205 sq.

14) Lindenbr. 75. (Salzb. 7. 19) »per hanc chartulam libelli dotis sive per festucam et per andelangum dono tibi.« Aliquando non sponsae ipsi, sed misso, i. e. salmanno ejus dos traditur. Sirm. 15. Lindenbr. 80. Constat autem dos rebus tam mobilibus quam immobilibus. Eorum vero sententia, qui feminae jus in dotem rerum mobilium aliud quam immobilium esse dicunt (Schäffner. I. 262. Laboul. 122), fontibus non nititur. Aliquando etiam evenit, ut maritus uxori dotis nomine usumfructum beneficii concedat. Form. Andeg. 1.

Form. Marc. II. 9: »Dulcissimis filiis meis — villas aliquas — genetrice vestra illa, antequam eam meo sociassem conjugio, per epistolam cessionis aut libellum dotis visus sum condonasse. Sed dum et ipsa — discessit — per ipsam epistolam, quam in eam feceramus, contra nos evindicastis et in vestra potestate omne alode ipsius recepistis. Sed dum mea fuit petitio et vos — ipsas villas vel res, quae fuerunt genetrice vestra, quas ego ei dedi vel condonaveram, mihi ad usum beneficii tenere et excolere absque ullo vestro praejudicio permisistis etc.«

Liberis tamen deficientibus maritus superstes, retentis tertia parte dotis et quibusdam rebus mobilibus de maritagio uxoris, heredibus mulieris duas partes dotis restituit[15]).

L. Sal. 72. (Mon. II. 3): »Si vero de anteriorem uxorem filios non habuerit, parentes, qui proximiores sunt mulieris defuncti, duas partes dotis recoligant et dua lectaria demittant, dua scamna coperta, duo cathedras. Quod si istud non fecerint, tertia sola de dote recoligant etc.«

Chilpericus autem rex edicto »de tenore pacis« c. 4. praecepit, ut post alterius conjugis mortem alter superstes dimidiam dotem retineret, dimidia propinquis mortui vel mortuae restituta[16]).

---

[15]) Pardessus 690, nescio quo errore motus, rem ita pervertit, ut maritum superstitem duas partes dotis accipere, mulieris autem heredibus tertiam partem cum quibusdam rebus mobilibus restituere dicat. Quem, nulla fontium ratione habita, Schäffner I. 269 secutus est. — Si mulieris heredes illas res mobiles maritagii restituere omiserunt, sola tertia parte dotis contenti duas partes relinquere coguntur.

[16]) Hoc edictum novam juris rationem introducere constat. Chlodovechi autem edictum (l. Sal. 72) sine dubio antiquam rationem com-

L. Sal. 77. c. 4: »— quicumque uxorem acceperit et infantes inter se non habuerint, vir uxorem suam superstitem mortuus fuerit, tunc illa mulier dimediam dotem accipiat, et dimediam partis defuncti marito ad se recollegant. et si mulier sub tàli dictione mortua fuerit, media maritus simili modo ad se revocet et mediaetatem parentibus ipsius muliere ad se recollegant.«

II. Si maritus ante uxorem defunctus est, vidua aut dotem legitimam petit aut dotem sibi constitutam et charta scripta vel juramento cum sacramentalibus comprobatam[17]) a mariti heredibus vindicat, ita tamen ut liberis extantibus solum usumfructum dotis habeat, proprietas liberis servetur[18]).

L. Sal. 71. (Ed. Chlod. a. 500 § 1): »— Sic tamen ut dotem quem anterior maritus dedit, filiis suis post obitum matris sine ullum consorcium sibi vendicent ac defendant. de qua dotem mater nec vendere nec donare praesumat.«

Form. Sirm. 14: »dum advixeris secundum legis ordinem teneas atque possideas nostrisque qui ex nobis procreati fuerint filiis vel filiabus derelinquas.«

Form. Andeg. 1: »Haec omnia suprascripta rem in tuae jure et domenacione hoc recipere debias vel posteris tuis, si inter nos procreati fuerunt, derelinquentis.«

---

probat. Reprobanda igitur, quam Königsw. (405 sq.), Eichhorn (I. 364), Laboul. (122), Pardessus (683) proferunt, est sententia: liberis deficientibus mulieris heredes a marito nihil petere posse. Contra Ginoulhiac. 193 sqq.

17) L. Sal. 104: »In quantas causas electi debeant jurare. De dote et de res qui in oste perditas sunt et de homine qui in servicio revocatur.« Cf. cap. V. § 1. not. 28.

18) Ginoulh. 192. Pardess. 688. Schäffner. I. 262.

Eod. 53: »haec omnia — quamdiu adviximus ambo pariter hoc tenere et possedere debiamus, superius nomenata hoc tenire et possedire debias. Et se prolem nobis Deus dederit, cum omne integritate ut rem meliorata acceperit et adfirmare deberimus. — Post transitum vero tuum in ipsis revertantur.«

Itaque mulier stante matrimonio dotem nisi liberis nulli dare potest.

Aimoin. gest. Franc. (Bouquet. III.) III. 55: »Regina (Chilperici, quum filiae nupturae multa dona offerret, increpantibus Francis) sic locuta est: Nullus vestrum autumet, haec regalium esse ornamenta thesaurorum: quaedam enim ipse princeps mihi dotis nomine contulit; quaedam proprius labor adquisivit; aliqua vestra munificentia tribuit.«

Nullis autem liberis procreatis vidua duabus partibus dotis retentis tertiam partem cum quibusdam rebus maritagii heredibus mariti restituere cogitur[19]).

[19]) Easdem res etiam heredes mulieris, ante maritum mortuae, sub eadem poena amittendae alterius tertiae partis dotis marito superstiti restituere jam supra (pag. 45) vidimus. Vix autem crediderim, mulierem die nuptiarum praeter illas res maritagii loco a patre nihil accipere, sed multo magis eorum sententia mihi probatur, qui easdem personas et maritagium et dotem, exceptis quibusdam rebus maritagii supra memoratis et tertia parte dotis, accipere dicunt. (Cf. Walter. II. § 490). Haec igitur res mobiles cum tertia parte dotis aut marito superstiti, aut proximo ejus agnato (i. e. viduae mundoaldo, qui etiam achasium accipit) obveniunt. Atqui certe in Saxonico speculo fontibusque proxime contingentibus mirum est, quam similiter legi Salicae res se habeat. Viduam enim, quae »geradam« suam quam vocant, i. e. maritagium (Gaupp. germ. abh. no. III.) conjuge mortuo vindicat, ei, qui defuncti arma (hergewaete) accipit (i. e. mundoaldo suo, cf. Kraut. I. 168) similes res mobiles restituere oportet. Görl. Indr. 41, 9: »Swelich witewe nach irs

L. Sal. 71: »— Certe si mulier de anteriore marito filios nou habuerit et cum dote sua ad alias nuptias

mannis tode ir rade zo ir nimit, die sol deme erbin, der irs mannis herwete nimit, einen phul unde ein cussin unde ein lilachin unde ein twelin lazin, zo bestetene die morgingave.« Sicut hic res mobiles a vidua dantur, ut retineat morgengabam, secundum legem Sal. eam ob causam dantur, ut retineat duas partes dotis; illis enim rebus non restitutis viduam tertiam modo partem retinere vidimus. Cf. praeterea Ssp. I. 22, 4. Schwsp. 25. Altdithm. lndr. a. 1447. § 218. Gaupp. Magdeb. r. a. 1235. § 47; a. 1304. art. 40. Eodem autem modo etiam eam mulieris propinquam, quae ea mortua geradam accipit, marito quasdam res restituere oportet. Ssp. III. 38. § 5: »Stirft des mannes wif, swelk ire nichtele ire rade nimt, die sal von der rade dem manne berichten sin bedde, als it stunt do sin wif levede, sinen disch mit enem dischlakene, sinen bank mit enem pole, sinen stul mit enem küssene.« Rügian. lndgebr. c. 61 et 120. Wurster lndr. § 6. (Richthofen 550.) RA. 576. Gaupp. germ. abh. 78. Walter. II. § 490. — Ob tantam igitur juris Salici et Saxonici similitudinem fortasse a vero non alienum est, si apud Salicos iisdem personis, quae apud Saxones mulieris defunctae geradam accipiant, i. e. liberis deficientibus imprimis sorori, tunc sororis filiae, denique consobrinae, dotem cum maritagio relinqui dicimus. Apud Burgundiones enim rem item se habere jam supra (pag. 39) vidimus et de jure Bajuvariorum infra agemus. Cf. cap. V. § 2. not. 9. Sed quantum ad geradam pertinet, dubitari non potest, quin apud omnes fere gentes Germanicas tantum personae muliebris sexus eam accipiant. Lex Franc. Cham. 42. »Si quis Francus homo habuerit filios duos, hereditatem suam de sylva et de terra eis demittat, et de mancipiis et de peculio. De materna hereditate similiter in filiam veniat.« (Cf. Gaupp l. Fr. Cham. pag. 82). L. Angl. et Ver. I. 7. »Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat, filiae vero spolia colli, idest murenas nuscas monilia inaures vestes armillas vel quicquid ornamenti proprii videbatur habuisse.« Eod. II. 4. »Qui ornamenta muliebria quod rhedo dicunt furto abstulerit etc.« Burch. Worm. leg. fam. St. Petri. (Walter c. j. g. III.) c. 10: »Si ex familia vir aliquis et uxor ejus obierint et filium cum filia reliquerint, filius hereditatem servilis terrae accipiat, filia autem vestimenta matris et operatum pecuniam accipiat.«

ambulare voluerit, — achasium donet. Et sic postea scamno cooperiat et lecto cum lectaria ornet et ante novem testes parentibus defuncti marito invitat et dicat: »omnes mihi testes sitis, quia et achasium dedi ut pacem habeam parentum, et lectum stratum et lectaria condigna et scamno cooperto et cathedras, quae decasa patris mei exhibui hic demitto.« Et hoc liceat cum duas partes dotis sui alio se dare marito. Si vero istud non fecerit, duas partes dotis perdat etc.«

Haec quidem lex solum de vidua secunda vota ineunte loquitur. Innupta autem vidua manente res item se habere videtur, quum secundum Chilperici edictum (vide pag. 46) antiquae rationi derogans marito defuncto, sive innupta maneat, sive secunda vota ineat, dotem cum mariti proximis aequaliter dividere jubeatur.

Omnia autem, quae de successione in dotem legibus praecipi diximus, tum modo locum habent, quum maritus in dote constituenda nihil aliud praecepit.

L. Rip. 37: »Si quis mulierem desponsaverit, quicquid ei per tabularum seu chartarum instrumenta conscripserit, perpetualiter inconvulsum permaneat.«

Itaque in dotis libellis, qui multi nobis reservati sunt[20]), praecepta maxime varia inveniuntur. Alii enim omnino legem sequuntur[21]), aliis mulieri solus ususfructus dotis constituitur.

[20]) Form. Marc. II. 15. 16. app. 37. Form. Sirm. 14—16. Form. Bign. 5. Form. Lindenbr. 75—80. 82. Form. Baluz. 49. Form. Andeg. 1. 34. 39. 53. Form. Salzburg. 7. 19. Charta dotis a. 827. (Baluz. II. 1427). Ludov. II. dipl. a. 850. (Muratori. II. 178.)

[21]) Sirm. 14 sq. Lindenbr. 78. 80.

Form. Andeg. 39: »Haec omnia — — habeas concessum, dum advixerit, perpetualiter ad usumfructuario ad possedendum.«

Contra alii, liberis certe deficientibus, mulieri proprietatem dotis concedunt.

Eod. 53: »Et se agnatio de nobis proereata non fuerit, haec omnia rem superius nomenata hoc tenire et possedire debiant et cui volueris derelinquas.«

Alii denique mulieri »quicquid exinde facere voluerit liberam potestatem« tribuunt[22]), ita ut eam et ipsa habeat et cuilibet relinquat[23]). Haec autem praecepta in libellis tam saepe inveniuntur, ut plerumque vix dici possit, utrum de dote an de morgengaba agatur[24]).

---

[22]) Marc. II. 15 sq. app. 37. Sirm. 16. Bign. 5. Lindenbr. 75—77. 79. 82. Salzb. 7. Andeg. 34. Charta a. 827. Ludov. II. dipl. a. 850. Charta a. 996. (Histor. Trevir. dipl. I. 336.) »Dedit itaque nobis — villam —, quam sibi praefatus senior suus comes V. in dotalicium dederat eique exinde potestatem quicquid facere vellet concesserat et usque ad terminum vitae suae absque ullius contradictione — confirmaverat.« — Beseler, 208. Eckard. 444.

[23]) Ad hoc praeceptum pertinere videtur, quod Brunechildis dotem sororis Gailesuindae accepisse dicitur. Guntchr. et Childeb. pact. (Greg. Tur. 9, 20.) »De civitatibus vero — quae G. germana domnae B. tam in dote quam in morganegyba — in Francia veniens certum est acquisisse, quas etiam per judicium gloriosi domini G. regis vel Francorum superstitibus Ch. et S. reges domna B. noscitur acquisisse.« — Ginoulhiac. 193 sq. dotem constitutam a muliere semper heredibus relinqui putat.

[24]) Gundling 40. illos libellos omnes ad morgengabam pertinere arbitratur.

§ 2.

De mundii pretio symbolico apud Salicos.

Verum mundii pretium apud Francos non jam mundoaldo, sed sponsae solvi vidimus. Itaque quod apud Langobardos post Liutprandum regem usu receptum esse vidimus, ut praeter dotem etiam pretium symbolicum a sponso offerretur, quum, vera mundii emptione obsoleta, secundum negotiorum imaginariorum usum Germanorum certe ficta emptione opus esset, in Salicis quoque Francis in communi usu fuisse omnes viri docti consentiunt[1]). Sponsus enim mundoaldo solidum et denarium »secundum legem Salicam« offert.

Fredegar. Greg. Tur. epit. 18: »Legati offerentes solidum et denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei sponsant.«

Form. Bign. 5: »ego te per solidum et denarium secundum legem Salicam visus fui sponsare.«

---

[1]) Beseler. 200. Eichhorn. I. 317. Gaupp. 192. Ginoulh. 198. RA. 424. Pardessus. 666. alii. — In Ripuariis dotis ratio eadem quae in Salicis esse videtur, ita ut fontibus Salicis etiam instituta Ripuariorum et e contrario declaraverimus. Sed quae de pretio emptionis symbolico inveniuntur, tantum ad desponsationem secundum legem Salicam spectare dicuntur. Attamen apud Ripuarios quoque fictam mundii emptionem in usu fuisse quadam desponsationis formula Coloniensi edocemur: »dan sal der gene, der si zô hôf gift, dat sîden doch mit XII tornêschen (nummi Turonenses) in dat dôch gebonden nemen, ind sal sagen: ich bevelen ûch zô hôf up frenzer erden mit golde ind gesteinen, silver ind gold, beide na Franken wîse ind Sassen ê etc. — — dan sal der gene der si zôsamen gift, dat dôch, dat de tornêschen in hât, eime geven, de it der brût behalde: de sal dan dat geld umb got geven armen luiden.« (Wackernagel ap. Haupt ztschr. II. 553.)

Form. Lindenbr. 75: »ego te solido et denario secundum legem Sal. sponsare deberem.«

Form. Salzb. 7: »ego tibi de solido et denario secundum legem Salicam desponsare deberem.«

Pithoeus glossar. ad leg. Sal. 46. (Baluz. II.) »N. filius N. puellam ingenuam nomine N. illius filiam per solidum et denarium secundum leg. Sal. et antiquam consuetudinem desponsavit.«

Nam quamvis non expressis verbis mundoaldus hoc pretium accipere dicatur, tamen rem ita se habere quum ex ipsa juris ratione tum ex iis, quae de viduis nubentibus lege praecepta sunt, intelligitur.

Viduae enim, quae post mortem conjugis in ejus agnatorum[2]) aut certe regis mundio[3]) sunt, hoc mundium nisi altera emptione facta relinquere non possunt. Quod apud Langobardos Rotharis temporibus ita fieri vidimus, ut mundoaldus dimidium prioris metae accipiat[4]); sed quum apud Francos verum pretium mulieri ipsi obveniat, viduam (prout lita aut ingenua est) solum pretium symbolicum trium aut sex solidorum, id est decimam dotis partem mundoaldo solvere necesse est[5]). Quae summa »achasius«, i. e. pretium emptionis appellatur[6]).

---

[2]) Guntchramnus, patruus Childeberti, post Childeberti mortem viduam ejus Faileuvam »tanquam sororem bonam et filias in sua tuitione et defensione« se recepturum promittit. Greg Tur. IX. 20. Cf. pag. 4.

[3]) Form. Marc. I. 8. Cap. Aquisgr. 802. c. 5. Conv. Ticin. II. 855 c. 2.

[4]) Vide pag. 9 sq.

[5]) Cf. pag. 41. Pardessus. 406. not. 712.

[6]) Grimm (vorrede z. l. Sal. ed. Merkel. pag. LIV.) vocabulum »achasius« (adesius, adhesius, hacesius, achius) idem quod apud Gallos medii aevi verbum »adesar,« »adeser,« i. e. »ligare« significare putat.

L. Sal. 71. (Ed. Chlod. a. 500. § 1. Mon. II. 3): »— et postea mulier, si de anteriore marito filios habet, parentes infantum suorum consiliare debet. Et si in dotis 25 solidos accepit, 3 solidos achasium parentibus qui proximiores sunt marito defuncto donet. hoc est si pater aut mater desunt, frater defuncti aut certe nepus fratris senioris filius, ipsis achasius debetur. et si isti non fuerint, tunc in mallo judici hoc est comite aut grafione roget de eam in verbum regis mittat, et achasium quem parentibus mortui mariti dare debuerant, parti fisci adquirat. Si vero 62½ solidos in dotis accipiat, solidos 6 in achasium dentur, hoc est 5 per decinus sol. singuli in achasium debentur. — — Certe si mulier de anteriore marito filios non habuerit et cum dote sua ad alias nuptias ambulare voluerit, sicut superius diximus achasium donet. Et sic postea scamno cooperiat etc. — et ante novem testes parentibus defuncti marito invitat et dicat: »omnes mihi testes sitis, quia et achasium dedi ut pacem habeam parentum, et lectum stratum etc. —.« Et hoc liceat cum duas partes dotis sui alio se dare marito. Si vero istud non fecerit, duas partes dotis perdat et insuper fisco solidos 62½ culpabilis judicetur. [De puellas militurias vel litas haec lex medietate servetur].«

(Cf. Raynouard s. v. adesar.) Magis autem quam Pardessus (Diplomata I. 45. not. 8) profert sententia mihi probatur, quum vocabulum »achasius« de barbaro-latino »achatum« vel »achetum« derivet. Achatum enim et relevium seu quod nomine relevii exsolvitur domino capitali, et emtionem significat. (Ducange s. v. acapitagium, acapta, acaptis, acaptum, accapitum, achatum, achetum.) Cf. praeterea vocabula Gallo-Franca »achat« (emptio) et »acheter« (emere).

Achasium autem pro mundio dari[7]) ex his argumentis intelligitur. 1. Achasius non solum liberis extantibus, sed etiam ab orba vidua solvitur. 2. Eaedem personae, in quarum mundio vidua consistit, i. e. proximus mariti defuncti agnatus vel rex, in cujus mundium (»verbum«) vidua, agnatis mariti non extantibus, mittitur, etiam achasium accipiunt. 3. Ea vidua, quae achasio non dato mundium reliquit, non »habet pacem parentum« et poenae loco 62½ (vel si lita est 30) solidos, i. e. eandem summam, vero pretio aequalem, quam a quoque mundii violatore solvi jam supra vidimus[8]), dare cogitur.

Hactenus omnia clara. Multo tamen difficilius est intelligere, quid sit, quod l. Sal. 71. init. dicitur:

»Si quis mulier vidua post mortem mariti sui ad altero marito se dare voluerit, prius qui eam accipere voluerit reibus secundum legem donet.«

Ad hoc autem praeterea l. Sal. 44 et formula quaedam Langobardica pertinent, quae, quamvis longiora, tamen hic afferenda sunt.

L. Sal. 44. »De reipus. § 1. Sicut adsolit homo moriens et viduam demiserit, qui eam voluerit accipere, antequam accipiat ante thunginum aut centenario. Hoc est ut thunginus aut centenarius mallum indicant et in ipso mallo scutum habere debet et tres homines tres causas demandare debent. Et tunc ille, qui viduam accipere debet, tres solidos aequos pensantes et dinario habere debet, et tres erunt qui ipsos solidos pensare vel probare debent, et hoc factum si eis con-

7) Pardessus Diplom. I. 45. N. 8. Schäffner. I. 268. Waitz. 112. 147. Walter. II. § 487. Weinhold. 304 sq. Id. ap. Haupt ztschr. VII. 541.

8) Cf. pag. 3. not. 10. et pag. 40 sq.

venerit[9]) accipiat (scil. viduam). Si vero istud non fecerit et sic eam acciperit, malb. reipus nihil sinus (al. hecalisinus, nicholes sinus, nicolensinus, nicholissimus, haec chala sinus, nicholesinus, nicolesinus) hoc est 2500 dinarios qui faciunt solidos 62½ culpabilis judicetur, cui reipi debentur exsolvere debet. Si vero quod superius diximus omnia secundum legem impleverit, 3 solidos [et dinario] ille cui reipi debentur accipiat.«

Form. Langobardica 20[10]). Secundum lectionem emendatiorem, quam affert Blume[11]): »Qualiter vidua salicha spondetur; nam de puella fit ut de ceteris. Comite missove regis cum 7 judicibus in judicio residente, tongino vel centenario placito banniente femina vidua salicha tali tenore et tali tradicione spondetur. Adsunt enim 9 homines, verum 3 sunt actores, 3 qui rei, 3 ut testes hujus omnis rei et solidorum III et unus denari eque pensancium, ita ut hi actores III utantur actionibus quarum due semper quasi jure jurejurando indigeant terminari veluti controversia de via antestetura et de consilio mortis. Tercia vero actio semper duello gaudet examinari actorem clepio et baculo preparato ut de furto super 6 sol. et deposito 20 et ultra, sed factis actionibus et jure pro iis datis vadimoniis a reis, actores baculos vadimonii reis restituant. Hoc facto, et a sponsuro precio supradicto repario dato, debet mulier inquiri an eligat eum virum de quo

9) Scilicet: »si eis de dote viduae constituenda convenerit.«

10) Canciani II. 477. Walter corp. jur. Germ. ant. III. 556.

11) Ap. Peters comment. ad tit. 47. legis Sal. Berol. 1830. in appendice.

sit placitum sibi, quod cum mulier affirmaverit, tunc debet pater sponsuri interrogari, si filio suo consenserit et post orator incipiat.

Notum sit vobis, Quirites, si a Deo factum ordinatumque fuerit, quod Fabius venerat, ut sibi Sempronia, relicta quondam conjux Thersitis et que est ex genere Francorum filia Ciceronis, vobis presentibus Fabio spondeatur et Seneca suo repario. Quo a Fabio confirmato Seneca ab oratore interrogatus respondeat sponso sibi et post orator interrogat Fabium, qua lege vivendo utatur. Si dixerit, verbi gratia, salicha, tunc orator dicat: »O Fabi, da Senece vadimonium ut facias Semproniam, que defensione Senece regitur, jure tuo securitatem scripturalem tercie portionis omnium rerum quas nunc habes vel adquisieris tam mobilium quamque immobilium seu familie, et si hoc non feceris ut componas decem libras auri. Quo vadibus firmato, tunc gladius cum clamide et arotheta tenebitur a Seneca, et orator dicat; per illum gladium et clamidem sponsa Fabio Semproniam tuam repariam, que est ex genere Francorum. Quod cum Seneca firmaverit, tunc orator dicat ad Fabium accipientem eundem gladium cum clamide dicat ei: »O Fabio, tu per eundem gladium et clamidem comenda eam sibi, donec fuerit inter te et illum conventio.« Quo facto tunc Seneca det Fabio vadimonio quod dederit Semproniam ad legitimum conjugium, et mittat eam sub mundio cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus seu familiis que ei legibus pertinent, et Fabius det Senece vadimonium eam recipiendi, et si quis eorum se subtraxerit, componat 10 libras auri. Quo facto tunc Fabius

eam subarret annulo, et post tradatur cartula donationis et dotis vel scripte ibi legantur, et Seneca det conjugem Semproniam Fabio et post Sempronie cartas.«

In mallo per tres actiones rite instituto coram tungino is, qui viduam ducere vult, »reparioc viduae tres solidos et denarium, a tribus testibus comprobatos, solvit. Quo facto postquam vidua consensit, reparius, a proco dotem viduae conferendam stipulatus[12]), vadibus ab utroque datis et arrha constituta[13]) (a repario ut mundium tradat, a proco, ut vidua accepta dotem solvat), viduam ei desponsat[14]). Sed si quis viduam non ita desponsatam duxit, eandem summam, quam qui mundium violavit, i. e. 62½ solidos pro poena solvere cogitur[15]). Cui summae in glossa malb. adjiciuntur verba »reipus nihil sinus« (hecalesinus, nicholesinus etc.). Quam ob rem Schilter reipum non ipsum emptionis pretium 3 sol. et denarii, sed mulctam pretii non soluti, praeter legem nuptiis celebratis, significare putat. Sed neque ille neque, qui ei assentiunt[16]), satis observarunt, quae l. Sal. 71. dicuntur. His enim

---

12) L. Sal. 44. »si eis convenerit.« (vide not. 9.) Cf. Pars II. cap. II. § 2. not. 6. — 13) De arrhae stipulatione cf. Pars II. cap. II. § 2. not. 6.

14) In formula Langob. 21, anteriori formulae adjecta, praeterea sponsus repario crosnam 10 solidos valentem, per quam mundium tradatur, praebet; traditis autem mundio et crosna, repario lonechild (scilicet 10 solidorum) solvit. (Cf. RA. 448.) Sed quum eundem ritum apud Langobardos vigere jam supra cognoverimus, apud Salicos autem reipus lonechild pro mundio datum sit, dubitari non potest, quin auctor formularum, ut homo Langobardus, ritibus Salicis hic usum Langobardicum inserat. Cf. Gengler grundr. d. dtsch. rechtsg. pag. 318. Cf. supra pag. 21. et infra Pars II. cap. II. § 2. not. 6.

15) Cf. pag. 3. not. 10. et pag. 40 sq. 54.

16) Cf. Ducange ed. Henschel s. v. reipus.

verbis »qui eam accipere voluerit reibus secundum legem donet« reipum pretium emptionis, non summam poenalem esse docemur[17]). Itaque vir illustrissimus Jacobus Grimm verba »reipus nihil sinus« egregie interpretari videtur, quum pro iis »reipus ni chalesinus«, i. e. »reipus non collectus« ponat[18]).

Reipus autem ipse pro viduae mundio solvitur. Quod

[17]) L. Sal. 44. i. f. »in fisco reipus ipse vel causa quae inde orta fuerit (sc. reipus ni chalesinus) colligatur.« Gloss. ad l. Sal. 44. »reipus est pretium emptionis viduae matrimonii causa.«

[18]) Vorrede z. l. Sal. ed. Merkel. LIII. Huic interpretationi congruit inscriptio legis Inae 31. (vide pag. 27. not. 7.). — De ipso vocabulo »reipus« scripserunt Grimm l. c. LIII sq. et Müllenhoff ap. Waitz. 292. Reipus autem idem significat, quod nostrum »reif« (funis, lorum, restis, vinculum, annulus), goth. ráips, ags. râp. Sed unde illud pretium ita vocetur, non satis apparet: num quia reipo dato sponsa vinculo quodam ligatur? (huic autem sententiae obstat, quod mundoaldus »reparius,« mundoalda »reparia« appellatur) — an quia reparia in mundii vinculo est? — an quia olim pro solidis annuli dabantur? — Müllenh. l. c. comparatis verbis »frĕdus« (friedensgeld) et »faidus« (feindschaftsgeld) reipum »bandgeld,« »ringgeld« significare affirmat. Maxime autem eorum sententia mihi probatur, qui reipum ab annulis derivant. In ipsa enim l. Sal. 44. saepius vocabulum »reipi« pro »reipus« occurrit: »cui reipi debentur,« »hoc discernendum est cui reipi debeantur,« »ipse eos accipiat,« »frater matris reipus (sc. reipos) accipiat.« Annulos autem saepius pretii loco in cujusvis generis negotiis datos fuisse constat. Gûdrûn (ed. Ettmüller) 126, 16: »Lat iuch niht verdriezen u. nemet unser golt, Guoter bouge viere: daz sî iuwer solt.« Eod. 134, 16: »ich gaebe dir boten brot Dri guoter bürge und darzuo huobe rîche, Und sehzic bouge goldes.« — Denique apud Anglosaxones dotem (i. e. vetus mundii pretium) annulis constitisse ex rituali Sarisburg. (ap. Grupen. 35) intelligitur: »Interrogat sacerdos dotem mulieris, videlicet arras sponsales: et dicuntur arrae annuli vel pecunia vel aliae res dandae sponsae per sponsum etc.«

quum ex mulcta 62½ solidorum, pro reipo non collecto solvenda, conjici potest, tum eo comprobatur, quod reipus in desponsatione mundoaldo datur. Reparius enim, cujus »defensione« vidua regitur[19]), et reipum et mulctam pro reipo non collecto accipit[20]), viduam desponsat[21]), consulit doti ei a sponso constituendae[22]), tradit mundium cum omnibus ejus rebus[23]), ita ut dubitari non possit, quin ipse reparius mundoaldi officio fungatur.

Itaque constat, in viduae desponsatione reipum idem significare, quod, si virgo desponsatur, solidus et denarius[24]).

---

[19]) Form. Langob. l. c. »Sempronium que defensione Senece regitur.« Cf. Greg. Tur. 9, 20. »sub tuitione ac defensione domni Childeberti.« Cap. Aquisgr. a. 817. c. 3. § 9: »Si quis sponsam alienam rapuerit, aut patri ejus aut ei qui legibus ejus defensor esse debet etc.«

[20]) L. Sal. 44. »solidos 62½ culp. jud., cui reipi debentur exsolvere debet.« — — »tres solidos et dinario ille cui reipi debentur accipiat.« Form. Lang. cit. »a sponsuro precio supradicto repario dato.«

[21]) Form. Lang. cit. »Fabius venerat ut sibi Sempronia — spondeatur et (scil. a) Seneca suo repario.«

[22]) L. Sal. 44. »si eis convenerit.« Form. Lang. c. »O Fabi, da Senece vadimonium, ut facias Semproniam, que defensione Senece regitur, jure tuo securitatem scripturalem — et si hoc non feceris, ut componas X libras auri.«

[23]) Form. Lang. c. »tunc Seneca det Fabio vadimonio quod dederit Semproniam ad legitimum conjugium, et mittat eam sub mundio cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus etc. — — et Seneca det conjugem Semproniam Fabio.«

[24]) Beseler. 198. Eichhorn. I. 315 sqq. Gans erbr. IV. 54 sq. Gengler grundr. 267. 318. Ginoulh. 184. Grimm. RA. 426. Kraut. I. 174. 185. Davoud-Oghlou hist. de la legisl. des anc. Germ. I. 559. Pardessus. 687. Schäffner. I. 267. Warnkönig. II. 234. 240. Zoepfl. § 81 *a*. — Laboulay 165. reipum et achasium idem significare arbitratur; illum enim a repario viduae restitutum deinde a vidua parentibus defuncti mariti ad mun-

Restat denique ut quaeramus, quaenam personae reipum accipiant.

L. Sal. 44. § 2: »Hoc discernendum est, cui reipi debeantur. Si nepus, sororis filius, fuerit senussimus, ipse eos accipiat. si vero nepus non fuerit, neptis filius senior eos accipiat. Si vero neptis filius non fuerit, consobrine filius, qui ex materno genere venit, ille eos accipiat. si vero nec consobrine filius fuerit, tunc avunculus, frater matris, reipus accipiat. si vero nec avunculus fuerit, tunc frater illius, qui eam mulierem ante habuit, si in hereditatem non est venturus, ipse reip. acc. Si nec ipse frater fuerit, qui proximior fuerit, extra superius nominatos, qui singulatim secundum parentilla dicti sunt, usque ad sexto genuculo, si in hereditatem illius mariti defuncti non accedat, ipse reip. acc. Jam post sexto genuculo si non fuerint, in fisco reipus ipse vel causa quae inde orta fuerit colligatur.«

Imprimis autem dicendum est, utrum personae supra nominatae, i. e. nepos, neptis filius, consobrinae filius, avunculus, mariti defuncti propinqui sint[25]), an viduae[26]). Nam qui eos sequuntur, dubitari non potest, quin proximi sint mariti, et ii proximi, qui iidem achasium accipiunt.

---

dium liberandum pro achasio dari. — Waitz 108. Weinhold ap. Haupt ztschr. VII. Walter § 487. Rogge (de peculiari l. Rip. cum l. Sal. nexu. 1832. pg. 22.) reipum mundii pretium esse negant. — Apud Frisiones rem similiter se habere supra (pag. 34.) demonstravimus.

[25]) Davoud-Oghlou. l. c. I. 557. Pardessus. 687. Schäffner. I. 267. Warnkönig. II. 240.

[26]) Eichhorn. I. 323. Grimm vorr. z. l. Sal. LIV. RA. 425. Kraut. I. 174. 185. Peters comment. ad tit. 47. legis Sal. (de reipus) Berol. 1830. Waitz. 107 sqq. Weinhold l. c. Walter l. c. Gengler l. c. 318. Zoepfl l. c.

Sed quum secundum legem Salicam propinqui tam paterni quam materni generis heredes fiant, quid est, cur agnati quidem tum modo reipum accipere possint, si »in hereditatem mariti defuncti non accedant«, materni autem generis cognati et reipum et hereditatem simul acquirant? Itaque haec lex ita interpretanda est, ut imprimis proximos materni generis cognatos viduae[27]), iis autem deficientibus easdem personas, quibus achasius obveniat, i. e. proximos mariti agnatos usque ad sextum gradum[28]), denique regem accipere reipum dicamus.

Ergo apud Salicos res ita se habere videtur: ut proximus mariti agnatus mundoaldus quidem viduae sit neque tamen eam alteri viro desponsandi potestatem habeat[29]). Quodsi iterum nuptura

---

[27]) Conspicuum est, viduam non in agnatorum, a quibus marito tradita sit, sed in materni generis cognatorum mundio esse. Sed quum in lege Salica genus maternum saepius generi paterno praeferatur (Cf. Waitz. 107 sqq.) assumptis iis, quae supra (pag. 47. not. 19.) de gerada egimus, proxime ad verum accedit, quam Peters l. c. 25. profert, sententia: »Jus in reippum succedendi, inquit, filio sororis per se spectato non convenire sed aliunde esse repetendum. Dicimus autem ex matre i. e. sorore viduae, quippe quae prima ad ornamenta muliebria (Nifftelgerade) vocatur, ejus in reippum succedendi jus esse repetendum. In matrem enim i. e. sororem viduae proprie caderet succedere in reippum si vel maxime ei mundium in sese suscipiendi jus concederetur. A quo vero quum arceatur, qui solus ad familiam pertinens videtur matris partes tueri posse, videlicet filius, in ejus locum succedat necesse est.«

[28]) Viduae cognatis non extantibus, mariti proximi et reipum et dotem accipiunt. Sed qui dotem accepit, idem mariti heres esse non potest: »On ne peut être heretier et douarier.« Warnkönig. II. 260.

[29]) Hoc mundium non tantum est ut eam tradat, sed modo ut eam protegat et, ubi aliquo modo offensa est, multam accipiat. Pardess. 687. Cf. pag. 5.

est, eam ad parentes suos, a quibus marito tradatur, reverti opus est. Itaque is, qui eam ducere vult, imprimis viduae proximis, ut mundium acquirat, reipum dat, vidua autem, ut a mariti parentum mundio liberetur[30]), achasium solvit.

Quae institutio mox in dies magis evanuisse videtur, ita ut a Chilperico rege abrogata[31]) Ludovici Pii temporibus omnino ignoraretur.

Hlud. Capit. legis Sal. 8: »De 46. capitulo, i. e. qui viduam in conjugium accipere vult, judicaverunt omnes, ut non ita sicut in lege salica scriptum est eam accipiat, sed cum parentorum consensu et voluntate, vel ut usque nunc antecessores eorum fecerunt in conjugium sibi eam sumat.«

CAPUT V.

De jure Alamannorum et Bajuvariorum.

§ 1.

De jure Alamannorum[1]). Apud Alamannos non minus quam apud ceteros Germanos ad quodque matrimonium necesse est, maritus mundium acquirat. Nam

30) »ut pacem habeat parentum.«

31) L. Salic. 77, 2. »Similiter convenit, ut rebus concederemus omnibus leodibus nostris, ut per modicam rem scandalos non generetur in regione nostra.«

1) De hac re optime egerunt Kraut. I. 310 sq. et Merkel in notis ad leg. Alam. (Monum. Leg. III.).

si quis puellam sine mundoaldi consensu uxorem duxit, cum 40 solidorum compositione eam reddere cogitur[2]).

L. Alam. Hloth. (ed. Merkel. Monum. Leg. III.) 54, 1: »Si quis filiam alterius non sponsatam acciperit sibi ad uxorem, si pater ejus eam requirit, reddat eam et cum 40 sol. conponat eam.«

Quodsi forte, antequam reddatur, mortua est, aut si parentes matrimonio illicite contracto postea consentiunt, raptorem 400 solidos dare oportet[3]). Liberos autem, si quos cum femina procreavit, ante mundium acquisitum mortuos quemque werigildo ejus mundoaldo componere debet[4]), ita ut proxime ad verum accedat, etiam illos 400 solidos pro femina ipsa solvendos non pretium mundii[5]), sed feminae werigildum esse[6]). Mediani enim hominis werigildum apud Alamannos 200, feminae medianae 400 solidorum est[7]). Cui maxime respondet, quod is, qui alterius

---

[2]) Pro muliere duplex summa 80 sol. solvenda est. L. Al. Hl. 51, 1. 58, 5.

[3]) Eod. 51, 1. —: »Si autem reddere noluerit, aput 400 solidos eam conponat. Et hoc si maritus prior voluerit. Et si antea mortua fuerit, antea quod ille maritus quaesierit, cum 400 solidis conponat.« Eod. 52. —: »Si autem reddere noluerit, solvat eam cum 400 sol., aut si mortua fuerit post eum.« — Eod. 54, 2: »Si autem ipsa femina post illum virum mortua fuerit, antequam illius mundium aput patrem adquirat, solvat eam ad patrem ejus 400 sol.«

[4]) Eod. 51, 2. 54, 2.

[5]) Hanc sententiam Merkel probat. Vide not. 13.

[6]) Cf. Roth. 187. —: »si contegerit casus, ut antequam mundium fecerit mortua fuerit, — ille vir qui eam violento ordine tulerit oxorem conponat eam mortua — et ad parentibus pro mortua conponere cogatur, aut cui mundius de ea pertenuerit.« Cf. Roth. 198. Liutpr. 31. RA. 449. Laboul. 83. Cf. not. 12.

[7]) Pact. frgm. II. 40.

sponsam rapuit, eam cum 200 solidis, i. e. cum werigildo suo reddere jubetur[8]).

Nunc autem videndum est, quid altera summa 40 solidorum significet. Eadem enim summa is punitur, qui virginem corrupit (pro muliere corrupta duplum solvitur[9]), qui sponsam vel uxorem sine causa dimisit[10]), qui alienam sponsam duxit[11]), qui feminam extra marcam vendidit[12]).

---

[8]) L. Al. Hl. 52. »Si quis sponsatam alterius contra legem acciperit, reddat eam et cum 200 solidis conponat.« L. Al. Lantfr. 97, 4. »Si quis alterius empta puella priserit, widrigildo suo sit culpabilis. Si non fuerit rapta, 40 sol. solvat.« — Cf. Liutpr. 119. L. Sax. 40. (vide pag. 24.) L. Fris. IX. 8 sqq. add. sap. III. 76. L. Sal. 15. 94. nov. 41. L. Rip. 34 sq. L. Cham. 47. Capit. a. 817. c. 3, 9: »Si quis sponsam alienam rapuerit aut patri ejus aut ei qui legibus ejus defensor esse debet, cum sua lege eam reddat.«

[9]) L. Al. Hl. 58, 4: »Si autem ab ea fornicaverit cum voluntate ejus, 40 solidos componat.« 5. »Si autem muliere haec contigerit, omnia dupliciter conponat sicut antea diximus de virgine.«

[10]) Eod. 53: »Si quis filiam alienam disponsatam dimiserit et alium duxerit, conponat eam quod disponsavit et dimisit 40 solidis.« Pact. frgm. III. 3: »Si quis uxorem suam dimittet, 40 sol. ipse componat.«

[11]) Pact. frgm. III. 29: »Si quis alterus puellam impia (fortasse »impta«) fuerit, 40 solidos solvat et ipsa reddat.« L. Al. Lantfr. 97, 4: »Si quis alterius empta puella priserit — Si non fuerit rapta, 40 sol. solvat.«

[12]) L. Alam. Hloth. 47. L. Al. Lantfr. 45. — Qui feminam venditam in pristinam libertatem restituere non potest, 400 solidos i. e. werigildum ejus dare cogitur. Cf. L. Sax. 20. L. Sal. 39, 3. L. Rip. 16. L. Wis. VII. 3, 3. »Qui filium aut filiam alicujus ingenui plagiaverit — et — transferri fecerit, — proximis parentibus in potestate tradatur — aut, si voluerint, compositionem homicidii ab ipso plagiatore consequantur, i. e. solidos quingentos. — — Quod si eum — potuerit revocare plagiator, 250 sol. h. e. medietatem homicidii exsolvat.« Cf. not. 3 et not. 6.

Denique quocunque modo mundium feminarum violatum est, violator mundoaldo 40 solidos dare cogitur, ita ut dubitari non possit, quin ipsum mundii pretium apud Alamannos 40 solidorum sit[13]).

Feminas enim a sponsis quodammodo emi jam inde colligi potest, quod sponsae etiam »emptae puellae« vocantur[14]). Emptionis tamen pretium non mundoaldo, sed mulieri dotis nomine constituitur[15]), dotem autem legitimam 40 solidorum esse clarissimis verbis ostenditur.

L. Al. Hl. 55, 3: »Dotis enim legitima 40 solidis constat aut in auro aut in argento aut in mancipia aut quale habet[16]) ad dandum.«

Instr. a. 890 (ap. Neugart cod. dipl. Alem. I. No. 597.): »Ego H. — trado ad monasterium St. Galli — quicquid hodierna die visa sum habere in illis locis, quae vir meus P. mihi in dotem dedit — — omnia videlicet ex integro trado atque transfundo ad praedictum monasterium. Ea videlicet racione, ut easdem res ad

13) Cf. pag. 3. not. 10. Ginoulh. 199. Königswarter. 403. Kraut. I. 310 sq. Contra Gaupp. 177 sq. Rive. 35. 49. — Merkel (nota ad l. Al. Hl. 55, 3) pretium emptionis 400 solidorum esse affirmat, quorum decima pars (40 sol.) sponsae a mundoaldo restituatur; hanc esse vim dotis legitimae. Quae interpretatio, quamvis subtilis, tamen argutior est, quam quae simplici interpretationi supra illustratae praeponatur.

14) Vide not. 11.

15) Merkel laudat Chron. Petershus. (ap. Mone quellensamml. I. 146) »O. — filiam W. comitis — sibi desponsaverat et ei sponsalia juramento firmaverat, sed priusquam eam acciperet, concubuit latenter cum B. filia R. regis, ut ipsam in matrimonium accipere cogeretur; et juramentum, quod filie W. juraverat, emendavit et omnia que illi spoponderat de suis rebus reddidit.«

16) Scilicet heres mariti defuncti. Cf. Beseler. 202.

me recipiens censum unius denarii inde persolvam ad ecclesiam St. Martini —. Et quandocumque redimere voluero, cum 40 solidis in argento sive in cavallis aut in armentis aut in pannis novis redimendi licentiam habeam ad praedictam ecclesiam. Quodsi ego non redimero, tunc filius meus R. aut propinqui heredes P. viri mei easdem res cum supradicta pecunia h. e. 40 solidis redimendi licentiam habeant. Si autem illi non redimerint, tunc supradictae res ex integro redeant ad supradictum monasterium.«

Dote autem ad omne matrimonium adeo opus est, ut concubinam ducturus eam antea dotare debeat[17]),

Corr. Burch. c. 250. (Wasserschleben 679): »Si quis laicus concubinam habens, antequam uxorem accipiat, dimittat eam, non est duplicata conjunctio. Sed concubinam a toro dimittere et copulare legitimam, si est libera, dotet eam.«

eum vero, qui pro paupertate nihil habet, quod uxori dotis nomine solvat, certe dotem symbolicam dare oporteat.

Eod. c. 43. (Wass. 640): »Accepisti uxorem et — non dotasti eam dote qualicumque potuisti, sive terra sive mobilibus rebus, auro, argento vel mancipibus vel animalibus vel juxta possibilitatem tuam, postremo vel denario vel pretio unius denarii vel pretio unius oboli, tantum ut dotata fieret. Si non fecisti — penitere debes.«

Itaque constat, dotem legis Alamannorum vetus mundii pretium esse. Quod etiam vocabulo »wideme«, dotem significante, confirmatur[18]). Wideme enim idem, quod ags.

---

[17]) Cf. pag. 4. not. 16.

[18]) Williram (ap. Wackernagel altd. leseb. 155, 26.) »iz gescah in sînemo mâheltage, do er imo selbemo mahelta mit demo widemen sînes

weotuma, fris. wetma vel werthmond, burg. wittemon, nhd. witthum, videlicet pretium desponsationis, pretium nuptiale (a goth. vidan nectere, gavadjôn spondere) significat[19]).

Legitima autem dos eo solum consilio destinatur, ut »uxoris jus semper quodammodo servetur[20])«, nulla re obstante, quominus feminae parentes, qui cum sponso de dote conveniunt[21]), ab eo dotem legitima majorem stipulentur[22]).

Postquam dos promissa aut libellis constituta[23]) aut praedibus firmata est[24]), maritus eam invita uxore nullo

hêiligen blûotes die ecclesiam non habentem maculam neque rugam.« Marcianus (Eod. 151.) mancipia dotalia vertit »widemdiwe.« Schwäb. verlöbn. (Eod. 190.) libellus dotis: »widembuoch.« Notker: »widemscrift« dos; »ze wideme geben« dotare; »widemêa« lex Pap. Popp.

19) RA. 424. Kraut. I. 303. Merkel. ad l. Al. Hl. 55, 3. Cf. pag. 27 sq. 33. 36.

20) Rive. 35. 51. Beseler. 201. Eckardt. 439.

21) Form. Ison. ap. Goldast. 9. Form. Salom. III. (ed. Rockinger qu. z. bair. gesch. VII. 1858.) 18. Friderici I. tract. c. Aldef. VIII. (Mon. leg. II. 565.).

22) L. Al. Hl. 55, 1. »sequat eam dotis legitima et quidquid parentes ejus legitime placitaverint.« — Ducange (s. v. placitare) et Merkel vocabulum »placitare« hic »concedere« significare putant, ita ut »quidquid par. leg. placitaverint« idem sit, quod quidquid ei dederint.« Sed quum placitare praeterea »pacisci« significet (Ducange l. c.), ea autem »quae par leg. plac.« ab iis, »quae de sede paternica secum adtulit,« distinguantur, non dubito, quin illa verba ad dotem pertineant. Beseler. 202. Rive. 35.

23) Tales libelli dotis sunt Form. Salom. 14. 18. Form. Rhen. (ed. Wysz mittheil. der antiqu. ges. in Zürich. VII. 1853.) 13. 16. Form. Goldast. 9. Neugart cod. dipl.. Alem. I. No. 614.

24) Form. Goldast. 10. »a praedilecta et matre mea, — cui ipsae curtes et praedia in recompensationem donationis propter nuptias titulo pignoris fuerant obligata.«

modo alienare potest[25]), ea autem mortua dos ad maritum revertitur[26]).

Form. Salom. 18: »— Omnia in integrum habeas et teneas atque possideas. Post tuum vero discessum ad me, si vivo, aut infantes meos hec dos revertatur.«

Quodsi matrimonium aut divortio aut conjugis morte solvitur, mulieri dos a marito vel heredibus ejus restituitur[27]), sed ita ut vidua, heredibus mariti dotem, in quantum legitimam excedat, restituere abnuentibus, dotem legitima majorem a marito sibi datam esse aut cum quinque sacramentalibus juret[28]) aut certamine probet.

L. Al. Hl. 56, 1: »Si autem proximus mariti defuncti contradicere ipsam dotem ad illam mulierem voluerit,

---

[25]) Goldast (scriptor. rerum Alam.) 60. »Ego W. — res mea — excepte tudem (sc. dotem) uxoris meai W. quid ego illi dedi — in ipsum supradictum locum — trado.« Zeusz trad. Wizenb. No. 53. »dono ad ipsum monasterium — excepto quod ego mea uxore in lib. dote condonavi — excepto illa silva quod ego mea uxore in lib. dote condonavi.«

[26]) Burch. Worm. leg. fam St. Petri. 1. Form. Sal. 14. Form. Rhen. 16.

[27]) Pact. frgm. III. 2. »Si voluntarie partire volunt, tollant quod eam per lege obtingat.« Uxor a marito repudiata praeterea multam 40 sol. accipit. Eod. III. 3. »Si maritus uxorem suam dimittet, 40 sol. ipse componat — et omnia ei reddat quod ei per lege obtingit.« — L. Al. Hl. 55, 1. »Si quis liber mortuus fuerit et reliquit uxorem sine filiis aut filias et de illa hereditate exire voluerit nubere sibi alium coaequalem sibi, sequat eam dotis legitima et quidquid parentes ejus legitime placitaverint.« Pact. frgm. III. 2. init. Form. Rhen. 12. 13. 16. Frider. I. tract. c. Aldef. (Mon. L. II. 565.) »Si forte praefatus C. decesserit nulla suscepta prole de uxore sua —, ipsa reducatur salva et secura ad regnum Castillae, si sibi placuerit redire. Et nihilominus habeat dotem suam. i. e. arrhas, in terra viri sui.«

[28]) Cf. pag. 46.

quod lex non est (sc. quod legitimam excedat), illa sequat cum sacramento cum nominatos quinque aut cum spata tracta pugna duorum: si potest adquirere aut per sacramentum aut per pugnam illam pecuniam etc.«

Itaque vidua, sive innupta manet, sive alteri marito nubit, dote quamdiu vivit utitur fruitur[29]), ipsa autem mortua heredibus mariti eam relinquit.

Burch. Worm. leg. fam. St. Petri. (Walter c. j. g. a. III.) 1: »Si quis — ad sociam suam legitime venerit, quicquid in dotem dederit et hoc ipsa annum et diem non proclamatum possidet, si vir prior moritur, uxor ejus totam habeat dotem usque ad finem vitae suae: si autem ipsa moritur sine filiis, proximi haeredes mariti sui dotem recipient. Similiter fiat si uxor prior moriatur.«

Neugart. I. 597. (vide pag. 65 sq.): » — Quodsi ego non redimero, tunc filius meus R. aut propinqui heredes P. viri mei easdem res — redimendi licentiam habeant[30]).«

Eod. 614: »Haec omnia ea conditione illi tradidi, ut simul ea utamur, et si Deus nobis heredem donaverit, ille habeat; sin autem, tunc post discessum amborum ipsae res ad monasterium revertantur.«

At enim vero si mariti heredes dotem, ut legitimam excedentem, restituere injuste recusaverunt, jure in dotem succedendi privantur.

---

29) Neugart l. c. I. No. 554. »Ego R. trado — unam hobam plenam statim post obitum meum, reliquas quoque duas, hoc est dotem uxoris filii mei — post obitum ejus.« Saepius maritus praecipit, ut muliere mortua liberi, iis autem deficientibus quodcunque monasterium dotem accipiet. Neugart. I. 614.

30) Secundum hunc locum vidua dotis legitimae proprietatem eorum autem, quae praeter 40 solidos dotis nomine accepit, solum usumfructum habere videtur.

L. Al. Hl. 56, 1: »— si potest adquirere aut per sacramentum aut per pugnam illam pecuniam, post mortem mulieris retro numquam revertat, sed ille sequens maritus aut filii ejus usque in sempiternum possedeant.«

Tum enim vidua dotis non solum usumfructum, sed proprietatem habet. Quod etiam a marito statim in dote constituenda praecipi posse multis locis confirmatur[31]).

§ 2.

De jure Bajuvariorum. Eadem, quae in Alamannis de dote legibus sancita esse vidimus, propemodum etiam ad jus Bajuvariorum, legi Alamannorum summa propinquitate conjunctum, spectant. Uxori enim dotem constituere apud Bajuvarios quum more antiquo[1]), tum legibus praeceptum est, quam ob causam dos etiam »justitia«[2]) vel »dos legitima« appellatur[3]). Ob hanc autem

[31]) Form. Salom. 14. — »si quis — me rapiat casus, omnia hec vice ac potestate et donatione et gratia mea possideat, ita ut nulli coheredum meorum subici vel servire debeat.« Zeusz trad. Wizenb. No. 6. — »ego — donatrix — conplacuit mihi animo, ut de re mea propria — aliquid ad loca Sanctorum condonare deberem, quod ita et feci, ergo dono — quod mihi maritus meus secum more legum tradidit ad possidendum.« Eod. No. 87. Cf. Beseler. 208 sq.

[1]) Meichelbeck hist. Fris. I *b*. 38. »Ego H. in loco, quem dicitur P., tradidi conjuge mee J. sicut antiqua mos est etc.« (a. 773).

[2]) Eod. I *b*. 155. »hereditatem, quam mihi vir meus W. ad meam justitiam concessit.« Eod. I *b*. 226. »tertia pars dedi uxori meae pro justitia illius.« Eod. I *b*. 380. »quod ei maritus suus — ad justitiam (tradidit).« Eod. I *b*. 550. »quod ad justitiam propriam de marito accepit.« — Eodem vocabulo metam legitimam apud Langobardos appellari supra vidimus. Cf. pag. 18 et Pars II. cap. I. § 2. not. 8.

[3]) Eod. I *b*. 21. »Ego K. rem propriam a viro meo C. vivente, quam adquisivi vel a dote legitimo mihi accederat.« Eod. I *b*. 206. »tradidit

necessitatem non minus quam ob legis Alam. similitudinem proxime ad verum accedit, dotem legitimam sicut in Alamannis etiam in Bajuvariis vetus pretium esse[4]), quamvis, ut fontes de hac re sunt imperfecti, haec sententia non omni dubitatione major sit[5]).

Dos igitur, a marito secundum feminae statum data[6]), adeo ejus fit, ut maritus durante matrimonio eam alienare non possit.

— uxori suae jure legitimo ad conpositionem tutis illius.« L. Bajuv. VII. 14, 2. »Mulieri autem dotem suam — solvat legitime.« Eod. XIV. 7, 2. »cum dote sua quam per legem habet.« Eod. XIV. 9, 2. »de mariti rebus quod per legem ei debetur accipiat.« — Dos legitima proprie quidem tum solum locum habet, quum maritus dotem constituere omisit. Hic autem in ea quoque transfertur, quae »in compositionem dotis« (»pro justitia«) constituta sunt. Beseler. 203.

4) Ginoulhiac. 199. Königswarter. 403.

5) Gaupp. 176 sq. eam morgengabam esse, Rive 56. et a pretio et a morgengaba eam differre censet. — Ad mundii pretium fortasse eae donationes spectant, quae in jure posteriore Bajuvariorum sub nomine »erungen« occurrunt. Cf. München. magistr. verordn. a. 1405. (Schmeller bair. wb. I. 96.): »Es soll auch chain prawtgam chainer prawt chainen kopf (calix) geben der mer hab dann drey marck silbers. Er sol auch sein swiger nicht mehr geben zu erung dann ain klainat, das nicht mehr hab dann anderthalbew marck silbers, u. hab die prawt geswistergeit, den sol der prawtgam kain klainat geben, das mer hab dann ein halbew marck silbers, er sol auch chainen ferrer eren etc.«

6) L. Bajuv. VII. 14, 2. »Mulieri autem dotem suam secundum genealogiam suam solvat legitime« — Dos legitima quanta sit, ex fontibus non apparet. Sed quum is, qui sponsam dimiserit, mundoaldo 24 sol. (L. Baj. VII. 15.), qui uxorem repudiaverit, 48 sol. componere jubeatur (Eod. VII. 14, 1.), fortasse eam 24 solidorum esse conjicere licet. (Cf. pag. 3. not. 10.) Dos autem constituta, de qua mundoaldus et sponsus conveniunt, plerumque rebus immobilibus constat.

Meichelb. l. c. *Ib.* 226: »Ego S. tradedi propriam hereditatem pro remedium anime meae in loco — duas partes, tertia pars dedi uxori meae pro justitia illius.« (a. 800).

Mulier autem ipsa vivo marito dotem nisi liberis nemini donare aut vendere potest.

Eod. *Ib.* 206: »H. Comis uxori suae C. nomine tutem suam habere constituit, h. e. curtem in loco F. etc. — tradidit supradictae uxori suae ad conpositionem tutis illius; ipsa enim C. eandem tradidit curtem H. filio suo in propriam hereditatem.«

Iisdem vero liberis, matre defuncta, dos competere videtur[7]), liberis autem deficientibus ad maritum redit, nisi forte adulterio commisso hoc jus ei ademptum est.

Ruodlieb (ed. Grimm) frg. XIV. v. 82—84: »Cui dixit juvenis: fiat, dilecta, velut vis. Umquam si faciam (i. e. adulterabo) tibi quae dedero bono perdam. Istius capitis abscindendique potens sis.«

Attamen si matrimonium aut divortio aut conjugis morte solvitur, mulier cum maritagio etiam dotem suam retinet et ne alteri quidem viro nupta amittit.

L. Baj. VII. 14: »Si quis liber liberam uxorem suam dimiserit, cum 48 sol. componat parentibus. Mulieri autem dotem suam secundum genealogiam suam solvat legitime. Et quicquid illa de rebus parentum ibi adduxit, omnia reddantur mulieri illi.«

---

[7]) Nisi res ita se haberet, mulier vivente conjuge liberis dotem concedere non posset.

Eod. XIV. 7, 1: »Quod si mater ad alias nuptias forte transierit, ea die usufructuariam portionem quam de bonis mariti fuerat consecuta, filii — vindicabunt. 2. Mater vero si habet proprias res et cum dote sua, quam per legem habet, egrediatur.«

Eod. XIV. 9, 2: »Si autem mulier — alium maritum tulit, tunc quod proprium habet et de mariti rebus quod per legem ei debetur accipiat.«

Liberis autem extantibus mulier dotis solum usumfructum habet[8]), proprietate filiabus vel, iis deficientibus, filiis reservata[9]).

L. Baj. XIV. 7, 3: »Et si ibi filios nec filias generavit, post mortem ejus omnia, quae de filiis suis detulit, ad illos revertantur.«

Quodsi liberi aut omnino non extant, aut dotis proprietatem matri concesserunt[10]), vidua meram dotis proprietatem habet eamque suis proximis relinquit[11]), nisi quid

---

[8]) Ita ut nisi liberis dotem alienare non possit. Meichelb. I *a.* pag. 264. »Nurus quoque dotem, quam ex marito acceperat, monasterio in legitimam possessionem tradidit cum omni patrimonio — si ex eodem marito C. liberos non generaret.« Eod. I *b.* No. 550. »mater ejus omne, quod ad justitiam propriam de marito accepit, totum ex integro filio suo condonavit.« (a. 831.)

[9]) Hoc etiam ea, quae supra de dote apud Francos ratum esse conjecimus, maxime confirmantur. Cf. pag. 47. not. 19.

[10]) Meichelb. I *b.* 380. »diligavit in manus episcopi — suam propriam hereditatem, quod ei maritus suus — ad justitiam et proprietatem seu etiam filii sui tradiderunt atque dimiserunt.« (a. 818.)

[11]) L. Bajuv. XIV. 9, 2. »Si autem mulier mortua fuerit aut alium maritum tulit, tunc quod proprium habet et de mariti rebus quod per legem ei debetur accipiat. Ceteras res propinqui prioris mariti accipiant.«

aliud maritus, exclusis uxoris parentibus, de dote fieri praecepit[12]).

CAPUT VI.

De jure Wisigothorum[1]).

»Si verum est, mundium in feminas Wisigothis non esse, de mundii pretio agi nequit.« Hoc argumento Rive utitur, ut dotem legis Wisigothorum a pretio emptionis

---

[12]) Meichelb. I*b*. 155. »tradidi ad domum S. Mar. — hereditatem, quam mihi vir meus W. Comes ad meam justitiam concessit in loco A. Constat enim multis, quia eandem rem eo tenore a viro meo traditam accepi, si ego eum supervixissem, ut ipsam rem ad jam dictum domum S. M. Frigisinga situm post obitum meum — tradidissem.« (a. 807.) Cf. Häberlin system. bearb. von Meich. hist. Fr. pag. 220.

[1]) Apud Gothos orientales rem ita se habuisse, ut mundoaldus pretium acciperet, ex hac epistola, quam Theodericus Magnus Hermanfrido Thuringorum regi scripsit, apparet. Cassiodor. Variae. IV. 1: »Desiderantes vos nostris aggregare parentibus, neptis caro pignori, propitia divinitate, sociamus. Ut qui de regia stirpe descenditis, nunc etiam longius claritate sanguinis fulgeatis. Mittimus ad vos ornatum aulicae domus, augmento generis, solatia fidelis consilii, dulcedinem suavissimam conjugalem. — — Quapropter — indicamus nos venientibus legatis vestris impretiabilis quidem rei, sed more gentium suscepisse pretia destinata, equos argenteo colore vestitos, quales decuit esse nuptiales. — Verum hunc quamvis nobilissimum gregem beluasque morigeras vel alia, que direxistis eximia, victa cognoscitis quando omnia jure superat, quae decus regiae potestatis exornat. Destinavimus et nos quidem quae principalis ordo poscebat: sed nihil majus persolvimus, quam quod vos tante foemine decori copulavimus.«

differre demonstret[2]), quamvis idem apud Burgundiones viduas et sui juris esse et wittemonem accipere non neget. Praeterea autem si Wisigothos quoque feminarum mundium quamquam infirmius quam ceteras gentes habere concesseris[3]), etiam de pretio agi posse concedes. Quod etiam quadam dotis formula confirmatur, quae nuptias vocabulo »mercatio« significat[4]). Pretium autem emptionis non mundoaldi fit, sed sponsa »de se ipsa id mercatur[5]).« Dos enim legis Wisigothorum a pretio minime differt[6]). Nam ut praetermittamus, dotem multis locis »pretium« vel »pretium dotis« appellari[7]), id solum memoramus, in lege Wis. III. 3, 3. »de pretio filiae« i. e. de

[2]) Rive. 33. 48. Beseler. 199. Walter. II. 127. 143.

[3]) Cf. pag. 6.

[4]) Form. Wisig. (ed. Rozière) XVIII. »Dotis formula. Nuptiarum solemnium festa petitio, quae fautore Deo sunt, simplici voto quaerentes conceditur, tunc magnum sui obtinet complementum, dum communium electione parentum perficitur. Sed in quantum maritandis ordinibus erit comparanda mercatio, divinis solius est constituta praeceptis etc. — Quapropter donare me indulgentiae tuae profiteor et dono hoc et illud etc.« — Biedenweg (comment. ad form. Wis. Berol. 1856. pag. 42.) hanc formulam de mundii emptione loqui, dotem autem, a pretio diversam, sponsae a sponso tantum »pro dignitate conjugii« constitui dicit.

[5]) Concil. ap. Tusiac. a. 860. (Sirmond. III. 181.) [Ad metropolitanos Aquitaniae]. — »dotem acceptam, quam de se ipsa, si carnaliter jungeretur, mercari debuerat.« Cf. pag. 31: »quod sponsi conditioni annueret« et »cur ejus eligat voluntatem.«

[6]) Gaupp. 174. Ginoulh. 189. RA. 423. Königsw. 403. Kraut. I. 307 sqq. Laboulaye. 113. (al. 134). Lembke gesch. v. Span. I. 215. Weinhold 210. (qui pag. 272 eandem dotem morgengabam esse praesumit).

[7]) L. Wis. III. 1, 3. (1, 2.) 2, 8. 4, 2. 4, 7.

dote agi[8]). Quod vocabulum, quum tantum mundium, non feminae ipsae maritis a parentibus vendantur[9]), quid significare potest, nisi pretium pro mundio datum?

Ceterum et alia argumenta proferemus. Quidnam est, cur ad quodque legitimum matrimonium dote opus sit[10]), nisi quia maritus aliter mundium uxoris habere non potest? Itaque eum, qui uxorem contra mundoaldi voluntatem duxit, mundoaldo tamen postea consentiente, etiam post nuptias dotem dare oportet[11]).

L. Wis. III. 4, 7: »Si puella ingenua seu vidua ad domum alienam adulterii perpetratione convenerit et ipsam ille uxorem habere voluerit, et parentes — ut se habeant adquiescant; ille p r e t i u m d e t p a r e n t i b u s,

---

8) L. Wis. III. 3, 3. — »pretium filiae suae quod cum priore sponso definisse noscuntur.«

9) Eod. V. 4, 12. »Parentibus filios suos vendere non liceat aut donare vel oppignerare, nec ex illis aliquid juri suo defendat ille qui acceperit, sed magis pretium vel sepositionis commodum, quod dederat, perdat, qui a parentibus filium comparavit.«

10) Eod. III. 1, 1. (1, 9): »Nuptiarum opus in hoc dinoscitur habere dignitatis nobile decus, si dotalium scripturarum hoc evidenter praecesserit munus. Nam ubi dos nec data est nec conscripta, quod testimonium esse poterit, in hoc conjugio dignitatem futnram?« Eod. XII. 3, 8. »Illud tamen modis omnibus observandum praecipimus, ut si quis Judaeus sive Judaea noviter renati nuptiale festum celebrare voluerint, non aliter quam cum praemisso dotis titulo, quod in christianis salubri institutione praeceptum est.« Form. Wis. XIV. — »consentienti parentum tuorum animo teque prebenti consensum — te mihi in conjugium copularem, necesse mihi fuit donationem manentem et legibus jure confectam in personam tuam sponsalitia largitate donare me tibi.«

11) Cf. pag. 4. not. 16.

quantum parentes puellae velint vel quantum ei eum ipsa muliere convenire potuerit.«

Alioquin enim mundoaldus puellae vel vidua ipsa (quippe quae apud Wisigothos sui juris sit[12]) cum sponso in desponsatione de pretio convenit.

L. Wis. III. 1, 3. (1, 2.): »si pater de filiae nuptiis definierit et de pretio dotis convenerit.«

Eod. III. 3, 3: »pretium filiae suae, quod cum priore sponso definisse noscuntur.«

Eod. III. 4, 2: »Si inter sponsum et sponsae parentes aut cum ipsa forsitan muliere, quae in suo consistit arbitrio, dato pretio et, sicut consuetudo est, ante testes facto placito de futuro conjugio, aut cum parentibus ejus, quibus lex potestatem tribuit, facta fuerit definitio.«

Pretio autem constituto nisi nuptiae sequuntur[13]), si quis eorum fidem fefellerit, alteri eandem summam aut simplicem aut multiplicem poenae loco dare cogitur[14]).

L. Wis. III. 1, 5. (1, 4.): »— Si quis sane constitutum definitionis tempus absque necessitate vel voluntatis consensione implere distulerit suamque voluntatem a pro-

---

[12]) Cf. pag. 5.

[13]) L. Wis. III. 1, 4. (1, 3.) »constitutione dotis impleta nuptiarum — peragatur celebritas.«

[14]) Cf. pag. 3. not. 10. — Ob hanc naturam posterioribus temporibus apud Hispanos dos arra vel arrabo vocabatur. Frider. I. tract. c. Aldef. (Mon. Leg. II. 565.) »dabit ei donationem propter nuptias, quae vulgo dicitur apud Romanos doaire, apud Hispanos arrhas.« Ex eodem tractatu praeterea dotem legis Alamannorum eandem, quae dos Wisigothica sit, esse intelligimus. Itaque si, quae supra de jure Alam. diximus, tibi probata erunt, ne Wisigothorum quidem dotem mundii pretium esse negabis.

missione conjugali removerit; et poenam, quae in placito continetur, adimpleat et quod definitum est immutare non liceat.«

Eod. III. 3, 3: »Si parentes raptori consenserint, pretium filiae suae, quod cum priore sponso definisse noscuntur, in quadruplum eidem sponso cogatur exsolvere.«

Concil. ap. Tusiac. a. 860. (vide not. 5.): »— quia Stephanus, si sponsaliorum fidem fregisset, secundum legem civilem multam eorumdem sponsalitiorum judicaretur componere: et ipsa puella post desponsalitia dotem acceptam, quam de se ipsa, si carnaliter jungeretur, mercari debuerat, ut eandem dotem habere non debeat, non ipsa sed Stephanus, ut videtur, commisit; habeat loco multae sponsalitiorum dotem a St. sibi datam et cum eadem dote patri restituatur, ut nubat parentum consilio cui vult.«

Quantum pretium sponsus dare debeat, antiquitus solum ab eorum conventione dependisse videtur, donec Chindaswindus rex praecepit, ne plus decima parte facultatis suae daret.

L. Wis. III. 1, 6. (1, 5): »Quum de dotibus diversa saepe inter nubentes oriatur intentio — decernimus — ut — non amplius ususquisque in puellae vel mulieris nomine dotis titulo conferat vel conscribat, rebus omnibus intromissis, quam quod decimam partem rerum suarum esse constiterit. — Nec erit ultra licitum puellae parentibus — ab sponso — plus petere — nisi quantum nunc legis hujus institutio continet[15]).«

---

15) L. Wis. III. 1, 10. (1, 9.) »Quodcunque autem legitime (i. e. non

Amplius autem poscere Chindaswindus feminae tum modo concedit, quum ipsa »de suis rebus sponso dare elegerit, quantum sibi ipsa dari poposcerit.« Quae constitutio non jus Germanicum, sed jus Romanum sequitur: »juxta quod ex legibus Romanis recolimus fuisse decretum.« Nam quae apud Romanos de conjugum testamentis lege Papia Poppaea sancita erant, quum conjux, alterius superstes, liberis deficientibus, ne plus decima parte hereditatis caperet vetaretur[16]), a Chindaswindo in dotem Germanicam transferuntur, quae praeterea quodammodo donatio propter nuptias esse videtur. Unde factum est, ut libelli dotis Wisigothici ad legem Juliam et Papiam Poppaeam pertinere dicantur[17]), quum re vera non dotem Romanam, sed dotem legis Wisigothorum contineant[18]). Haec autem sine dubio a jure Romano omnino aliena et verum pretium, pro mundio datum, est, eo solum a veteri pretio differens, quod mundoaldo soluta[19]) ab eo nuptiis secutis mulieri

---

ultra decimam facultatis partem) conscripserit, modis omnibus plenum robur habebit.«

[16]) Ulpian. frgm. 15. »Vir et uxor inter se matrimonii nomine decimam capere possunt.« Cod. Theod. VIII. 17, 2. (c. 2. C. de inf. poen. coelib.) »In perpetuum hac lege decernimus, inter virum et uxorem rationem cessare ex lege Papia decimarum, et quamvis non interveniant liberi, ex suis quoque eos solidum capere testamentis.«

[17]) Form. Wisig. (ed. Rozière. Paris. 1854; ed. Biedenweg comment. ad form. Wisig. Berol. 1856.) XIV. XV. XVII. XIX.

[18]) Biedenweg l. c. 37. 43.

[19]) L. Wis. III. 1, 7. (1, 6.) »Dotem puellae traditam pater exigendi vel conservandi ipsi puellae habeat potestatem. Quod si pater vel mater defuerint, tunc fratres vel proximi parentes dotem, quam susceperint, ipsi consorori suae ad integrum restituant.« Eod. III. 2, 8. »et si ob-

restituitur[20]). Quo facto adeo mulieris fit, ut sive durante[21]), sive soluto matrimonio de dote sua »facere quod voluerit liberam habeat licentiam[22])«,

L. Wis. IV. 5, 2: »— mulieres, quibus dudum concessum fuerat de suis dotibus judicare quod voluissent«

hoc solum modo a Chindaswindo adjecto, ut liberis in illo matrimonio procreatis tres partes dotis integras relinquat et tantum quartae partis dominium habeat, liberis autem non extantibus tota dos sicut antiquitus ejus sit[23]),

---

tinuerit uti eam uxorem habere possit, pretium dotis parentibus ejus, ut justum est, impleatur.« Eod. III. 4, 7. (vide pag. 76). Cf. Rive. 33 sq.

[20]) L. Wis. III. 1, 7. (1, 6.) vide not. 19. Cf. Beseler. 207.

[21]) Mulierem etiam vivo marito dotem alienare posse inde apparet, quod ea mortua dos tum modo marito obvenit, quum mulier intestata decessit. Vide not. 24.

[22]) Frid. I. tract. c. Ald. »Si rex A. sine filio masculo obierit, succedat in regno filia sua B. et vir ejus C. cum ea, salvo et servato illeso jure suo dominae reginae Alienor, uxori dicti regis Castellae, in omnibus et per omnia in arrhis suis. Hec autem sunt, quae sibi assignata sunt in dotem i. e. in arrhas etc.«

[23]) L. Wis. IV. 5, 2. — »decernimus, ut de dote sua mulier habens filios aut nepotes — conferre cuicumque voluerit non amplius quam de parte quarta potestatem habebit. Nam tres partes legitimis filiis aut nepotibus — absque dubio relictura est. De tota interim dote tunc facere quod voluerit erit mulieri potestas, quando nullum legitimum filium filiamve seu nepotem neptemve reliquerit.« — Eod. III. 1, 6. (1, 5.) — »Ita ut de his omnibus rebus in conjugium mulier adsumpta, si non reliquerit filios, facere quod voluerit liberam se noverit habere licentiam.« Beseler. 206.

et si intestata moriatur, dos ad maritum vel heredes ejus pertineat[24]).

CAPUT VII.

Generaliter de pretio emptionis agitur.

Antiquitus feminarum proximi jus in mundium habebant et non solum compositiones in eas commissas, sed etiam mundii pretium totum et integrum accipiebant. Quem mundii statum apud Langobardos usque ad octavum saeculum, apud Saxones Caroli Magni temporibus, quin etiam multo diutius apud Thietmarsos, gentem Saxonicam, apud Anglosaxones et Frisiones viguisse cognovimus. In Burgundionibus autem mundium plenum jam ad patrem fratresque mulieris solos pertinere videbatur et quemque mundoaldum minus propinque conjunctum, parte modo mundii pretii retenta, partem mulieri restituere oportebat. Viduae tamen, quum non jam mundio subjectae essent, pretium accipiebant ipsae. Itaque mox factum est, ut, sicut in Langobardis posterioris temporis et in Francis, mundium omnino magis officium quam jus esse videretur atque ut mulieres majorem pretii partem, mundoaldi denique solum pretium symbolicum acciperent. Quod quum posterioribus temporibus minus intelligeretur, pretii symbolici usus in

24) L. Wis. III. 1, 6. (1, 5.) — »Aut si intestata decesserit, ad maritum aut ad propinquos mariti heredes eadem donatio redeat.« — Hoc jure is maritus privatur, qui aut stuprum commisit aut uxorem repudiavit. L Wis. III. 5, 5. 6, 1. 6, 2.

dies magis evanescebat, verum autem pretium, sicut apud Alamannos, Bajuvarios, Wisigothos, non jam pro mundio dari sed donatio, feminae in desponsatione, interveniente mundoaldo, a sponso promissa, esse videbatur. Haec autem donatio, quae plerumque proprie »dos« appellabatur, quamvis a veteris pretii natura deflexisset, eam tamen vim servabat, quod maritus nisi dote data uxoris mundium acquirere non poterat[1]). Quamobrem nuptiis contra legem celebratis etiam postea dos constituenda erat, dote autem non constituta conjuge mortuo viduae, quae legitime ad maritum venerat, a mariti heredibus dotem legitimam petere licebat. Itaque quum mundii pretii historiam apud Germanos cognoverimus, eam donationem, quae proprie »dos« vocata sit, Taciti temporibus non jam in usu fuisse et, quae Tacitus de dote loquatur, aut ad donationem a pretio diversam pertinere, aut ex errore quodam Taciti orta esse intelligimus.

Tac. Germ. 18: »Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. intersunt parentes et propinqui ac munera probant, munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves et frenatum

[1]) Hac dotis natura, non ob juris Romani similitudinem (ut putat Laboulaye 118 sq.) factum est, ut ecclesia legitimum matrimonium sine dote contrahi negaret. c. 6. C. XXX. qu. 5. (Conc. Arel.) »Nullum sine dote fiat conjugium: juxta possibilitatem fiat dos.« Concil. ap. Tusiac. (Sirm. III. 176.) »Tantum dicere necessarium duximus, quia inter ingenuos et inter aequales legitima fiunt conjugia, cum a parentibus, quorum interest, petita et legaliter desponsata et dotata et publicis nuptiis honorata femina conjugii copulae sociatur.« Cf. c. 1. C. XXX. qu. 5. alia.

equum et scutum cum framea gladioque. in haec munera uxor accipitur, atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos conjugales deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque. Hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant; sic vivendum, sic pereundum: accipere se, quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant rursus, quae ad nepotes referantur.«

Lanceam et scutum pro launegild in Langobardis mundoaldo a sponso dari jam supra vidimus[2]). Sed quum hic eaedem res mulieri, quippe quae iis nullo modo egeat, dari dicantur, Tacitum de mundii pretio loqui proxime ad verum accedit[3]). Ad quod etiam ea, quae de ratione munerum dicit, spectare videntur; nam quum sine pretio legitimum matrimonium esse non possit, quid obstat, quominus mundii pretium »maximum vinculum[4]), arcana sacra, conjugales deos« appellet[5])?

Errasse igitur Tacitum in eo videmus, quod munera ad conjugales deos spectantia mulieri ipsi dari dicat. Ad

---

[2]) Vide pag. 20.

[3]) Eckardt. 438. Grimm RA. 423 sq. Kraut. I. 315. Weinh. 211 sq.

[4]) Vinculum = êwa. RA. 417.

[5]) Cf. Saxo Grammaticus (edit. Francof. 1576.) V. pag. 79: »ne quis uxorem nisi emptitiam duceret, venalia siquidem connubia plus stabilitatis habitura censebat, tutiorem matrimonii fidem existimans, quod pretio firmaretur.«

quem errorem per alteram mariti donationem, per morgengabam, eum adductum esse putaverim. Quae quum apud omnes fere gentes Germanicas inveniatur, jam antiquitus in communi usu fuisse videtur[6]. Tacitus autem, qui omnino de muneribus, nuptiarum causa a viro oblatis, audiverat, pretio et morgengaba commixtis, tantum de una donatione propter nuptias locutus est[7].

[6]) Cf. Pars II. cap. V.

[7]) Walter. II. 145. Zöpfl. II. § 80. Gaupp. 188. dotem Taciti morgengabam esse arbitratur.

PARS II.

DE MORGENGABA.

CAPUT I.

De jure Langobardorum[1]).

§ 1.

De morgincap. A mundii pretio alterum munus a viro oblatum, morgengaba i. e. matutinale donum, maxime distinguendum est. Nam quum de metae quantitate sponsus et mundoaldus conveniant, morgengaba in mariti arbitrio est[2]), dummodo ne plus quarta parte facultatis suae det.

Liutpr. 7: »— ipsum autem morgincap nolumus ut amplius sit, nisi quarta pars de ejus substantia qui ipsum morgincap fecit. Si quis minus voluerit dare de rebus suis, quam ipsa quarta portio sit, habeat in omnibus licentiam dandi, quantum voluerit; nam super ipsam quartam portionem dare nullatenus possit.«

Morgengaba porro non in desponsatione mundoaldo promittitur, sed postridie nuptiarum uxori offertur.

Liutpr. 7: »Si quis Langobardus morgincap conjogi suae dare voluerit, quando eam sibi in conjugio socia-

---

1) Ginoulhiac. 211 sqq. Muratori. II. diss. 20: »de actibus mulierum.«

2) Vet. quid. interpr. ad Roth. 223: »Per gratuitam donationem i. e. morgengap.« (Baluz. II. 992.)

verit, ita dicernimus, ut alia diae ante parentes et amicos suos[3]) ostendat — et dicat, quia »Ecce quod conjugi meae morgincap dedi.«

Quodsi mulier ante maritum decessit, hic cum ceteris rebus etiam morgengabam retinet[4]), eo autem ante uxorem mortuo vidua morgengabam, juramento comprobatam[5]), sibi vindicat et ne reversa quidem ad parentes[6]) aut alteri viro nuptura, proprietatem ejus amittit.

Roth. 182: »habeat ipsa mulier morgincap et quod de parentes adduxit, id est faderfio.«

Roth. 199: »— tunc illam veduam, qui in domum patris aut fratris regressa est, habeat sibi in antea morgincap.«

Aist. 14: »— Morgincap et meta, quod ei legibus data est, habeat in antea. Si quidem nupserit postea aut mortua fuerit, usumfructum in integrum ad heredes revertatur; de meta vero et morgincap fiat secundum anteriorem edictum.«

Sed quum viduae in morgengabis comprobandis saepius perjurarent, Liutprandus rex praecepit, ut maritus

---

[3]) Cf. Tac. Germ. 18: — »intersunt parentes et propinqui ac munera probant — quibus nova nupta comatur.«

[4]) Liutpr. 14: — »Si autem contegerit illa mori quae jam nupto tradita est, tunc ille ei succedat, qui eam per mundium suam fecit.« — Hoc jure is maritus privatur, qui uxorem injuste occidit. Roth. 200: »Si maritus oxorem suam occiderit inmerentem — habeant filii morgincap et faderfio matris suae mortuae; et si filius ex ipsa non habuerit, revertatur ipsa facultas ad parentes qui eam ad maritum dederunt.« Cf. Ginoulhiac. 204.

[5]) Merkel ad leg. Alam. Hloth. 56. Cf. cap. IV. § 1. not. 6.

[6]) Ea autem, quae aldio nupsit, eo mortuo ad parentes rediens morgengabam amittit. Roth. 216.

charta scripta et a testibus subnotata morgengabam traderet.

Liutpr. 7: »— ostendat per scriptum a testibus rovoratum, et dicat, quia »Ecce quod conjugi meae morgincap dedi«; ut in futuro pro hac causa perjurio non percurrat.«

Itaque quum Liutprandi temporibus meta non jam mundoaldo, sed sponsae promitteretur, mox factum est, ut sponsus utramque donationem in desponsatione promissam chartis firmaret[7]).

Liutpr. 117: »Si infans — spunsalia facere voluerit aut sibi muliere copolaverit, habeat potestatem et metam facere et morgincap dare, juxta Edicti tinore, et oblicationem faccre, et fidejussore ponere, et carta, si voluerit, pro causa ista scrivere.«

§ 2.

De quarta, i. e. de dotalitio. Liutprandi temporibus metam et morgengabam quodammodo unam donationem, praeter quam ne quidquam uxori daret maritus a Liutprando vetitus esset[1]), factam esse vidimus. Sed quum

[7]) Morgengabae igitur instrumenta post nuptias scripta nullius jam momenti erant. Form. ad Liutpr. 7. »Maria — P. te appellat, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per cartam et ecce carta. Si carta dicit: »Tibi M. conjugi meae,« fiat vacua. Si dixerit: »Tibi M. amicae meae,« aut probet qui appellat, quod pater suus habuisset ipsam feminam acceptam ad conjugium, quando fecit ipsa carta, aut emendet poenam.« Cf. Beseler. 219.

[1]) Li. 103. »Nulli sit licentiam conjugi suae de rebus suis amplius dare per qualemcunque ingenio, nisi quod ei in diem votorum in mepfio et morgincap dederit, secundum anteriorim edicti paginam; et quod super dederit, non sit stabilem.« — Quanta esset diversitas inter has

meta adhuc quandam veteris pretii vim servasset, illo aevo a morgengaba semper distinguebatur. Haec autem metae natura in dies magis evanescebat, ita ut postea una solum donatio propter nuptias superesset[2]), quae quum utrique similis erat, tum propter majorem morgengabae similitudinem proprio nomine »morgincap« appellabatur. Eodem enim modo, quo vetus morgengaba, etiam haec donatio a marito coram propinquis uxori offerebatur.

Lib. dotis a. 1044. (Baluz. II. 1550): »— ut alia die post noctem nuptialem, qui est dies votorum nostrorum, ante parentes et amicos nostros ostendam hoc scriptum testibus roboratum et dicam: Ecce quod conjugi meae in morgincap dedi.«

Gl. ad. Const. Neap. III. 15. (Laboul. 127): »In sequenti die nuptiarum debet ire vir ad uxorem ante parentes et amicos, et cum scripto hoc instrumento de morganicab exinde confecto et dicere uxori: »Per hoc scriptum morgincab investio te de quarta omnium bonorum meorum«; et sic per consequens translatum est in

---

donationes Langobardicas et donationem propter nuptias Romanorum, Langobardos non ignorasse ex his verbis intelligitur: »Obiitque Liutprandus rex, accepit Rachisi uxorem de hurbem Roma — et disrupit lex paterna Langobardorum morgyncaph, et mithio, que in suis legibus affixum est, non adimplevit. Fecit autem donationes cartule Romane, sicut ipsi Romani petierunt. Propter hoc Langobardi irritati adversus Rachisi rex, et tractantes cum Aistulphus de regno ejus.« (Chronic. Bened. de St. Andrea. c. 16. Monum. Scr. III. 702.)

[2]) In formulis ad Roth. 167. 182. 199. 215. veteris quidem metae mentio fit. Nihilo autem minus hoc mihi constare videtur: formularum tempore metam non jam in usu fuisse, sed ab auctoribus earum, quamvis obsoletam, tamen doctrinae causa memoratam esse.

ea quarta dominum sine aliqua possessione per traditionem illius scripti[3]).«

Ceterum quum meta 300 solidos, morgengaba quartam partem facultatis mariti excedere non posset, donatio autem propter nuptias praeter metam et morgengabam nihil contineret, communi usu factum esse videtur, ut dotalitium vel donatio propter nuptias semper quarta pars totius tenementi mariti esset[4]) et simpliciter »quarta« vel »quarta portio« appellaretur[5]).

---

[3]) Alia ap. Muratori. III. 1083. 1103. Heinecc. elementa. I. 174.

[4]) Chart. a. 827. (Baluz. II. 993.): »Ego A. — do tibi R. dilectae conjugi meae, — quando te in conjugio sociavi, morgincap, hoc est quartam portionem de omnibus rebus substantiae meae.« — Ibid.: »Ego A. — trado atque concedo per scriptum morgincap tibi dilectae conjugi meae — omnem quartam portionem meam de cunctis rebus proprietatis et substantiae meae.« — Lib. dot. a. 1044. (Ibid. II. 1550.) »Scriptum morgincap qualiter ego J. — dono trado atque confirmo tibi M. — dilectae conjugi meae, quartam portionem de omnibus rebus proprietatis meae quas modo habeo vel inantea — conquirere potero —, quartam portionem — de omnibus mob. et immob. rebus, ut alia die etc.« (Vide supra pag. 88). — Form. ad Roth. 182. 196. Form. Langob. 8. Muratori. V. 622. et loc. sub not. 3. cit. — Cf. Laboulaye 126: »Ce qui était faculté devint obligation; la Quarta fut un douaire coutumier.« — Muratori l. c. maritum aliquando plus quarta portione dedisse putat. Sed quae affert argumenta ad jus Francorum, non Langobardorum spectant.

[5]) Glossar. Cav. »morgincaph i. e. quartam partem.« Papias in vocabulario: »morgincap i. e. quarta pars in lege Langobardorum.« Adelchis Capit. III. (Neigebaur edicta reg. Lang. 143.) »Si clarum manifestumque fuerit, quamlibet feminam consuete et legaliter habuisse maritum et quartam seu octabam habuisse ab eo sibi factum etc.« — Quid sit, quod quarta hic etiam »octava« appelletur, nescio. Sed fortasse maritus neque plus quarta, neque minus octava parte facultatis dare poterat. — Cf. Ducange s. v. quarta 7, quartingiatus, quartisium.

Denique quantum ad metae et dotalitii similitudinem pertinet, mundoaldus et sponsus in desponsatione de dotalitio conveniebant[6]) et alter alteri praedes dabat, ut, hoc pacto alterius culpa violato, uter fidem fefellisset, alteri summam poenalem solveret[7]); nam quum dotalitium non jam, sicut mundii pretium, arrae naturam haberet, praeterea summam poenalem stipulari necesse erat. Dotalitium autem non minus, quam olim meta, cuique mulieri legitime nuptae obveniebat[8]), ita ut ea vidua, quae libellum dotis aut perdiderat aut omnino non habuerat, nihilo minus a mariti heredibus quartam petere posset.

Adelch. Cap. 3: »Si mulier morgincapud factum non habuerit aut factum perdiderit. Si clarum manifestum-

[6]) Form. ad Roth. 196. »Dona comiti vadia, quod tu facies ei mulieri quartam portionem de quanto nunc habes et in antea adquirere potueris, tam de re mobili quamque immobili seu de familia.« Form. ad Roth. 182. Form. Langob. 8. (Walter c. j. g. III.) »M. trade per hanc pergamena carta de morgincap ad Aldam de quarta portionem de omnium rerum, que nunc abes, aut in antea aquistare potueris tunc rerum mobilium quam immobilium seu familia, ut ipsa faciat ut heredes nostri secundum legem quod facere velint.« — Hanc ob rem dotalitium etiam »antefactum« vel »antefatto« appellabatur. Cf. Laboul. 126.

[7]) Form. ad Roth. 182. 196. »Dona comiti vadia etc. — et si te subtraxeris, ut componas sol. 1000. — Et tu, M., dona ei vadia, quod tu accipias eam, et qualis se subtraxerit componat sol. 1000.«

[8]) Charta a. 1000. (Muratori V. 622.): »Tantum de supradicta nostra offertione eceptuabi (i. e. excepi) quarta A. genitricis meae, quod per suum morgincaput legibus ibidem habere debet.« — Ob hanc dotalatii naturam etiam nomen »justitia,« quo metam legitimam significatam esse vidimus, aliquando occurrit. Instr. a. 1185. (Mur. II. 177.): — »Manifesta causa est mihi, quoniam die illo, quando te sponsavi, promiseram tibi dare justitiam tuam secundum legem meam in morgincap, id est quartam portionem etc.« Cf. pag. 18. 70.

que fuerit, quamlibet feminam consuete et legaliter habuisse maritum, et quartam seu octabam habuisse ab eo sibi factam, eamque pro perturbatione temporis perdidisse quomodocumque, vel si etiam, ut accidere solet multotiens, quartam eamdem vel octabam non fuerit scripta, propinquus mariti vel quilibet alter eamdem quartam vel octabam eidem mulieri rite competentem contrare minime presumat. De quibus si ulterius altercationem quisquam proposuerit, ejus quaerella nullum obtineat fructum; quoniam inicum et reprehensibilem videtur, ut, quod omnes de suis retinent viris, aliquante mulieres pro incuria aut aliqua accidentia amittant.«

CAPUT II.

De jure Francorum.

§ 1.

De morgangeba. Morgengabae in lege quidem Salica nusquam mentio fit, sed quum et in lege Ripuariorum et in loco quodam apud Gregorium Turonensem de ea agatur, eam in Francis in usu fuisse intelligimus. In utroque autem loco una cum dote memoratur, ita ut dubitari non possit, quin saeculo sexto a dote i. e. a pretio emptionis distincta sit.

L. Rip. 37, 2: »Si autem per seriem scripturarum ei nihil contulerit, si virum supervixerit, 50 solidos in dotem recipiat, et tertiam partem de omni re, quam simul conlaboraverint, sibi studeat evin-

dicare, vel quicquid ei in morgangeba traditum fuerat, similiter faciat.«

Greg. Tur. IX. 20. (Guntchr. et Child. pact. a. 587): »De civitatibus vero —, quae Gailesuinda, germana domnae Brunechildis tam in dote quam in morganegyba, hoc est matutinale donum, in Francia veniens certum est acquisisse, quas — domna Brunichildis noscitur acquisisse.«

Nam quum dos feminae in desponsatione instrumentis scriptis constituatur et per festucam et andelangum ei tradatur, morgengaba ei a marito traditur[1]), ita ut, ex quo primum cum eo concubuit, plenum dominium habeat et ipsa mortua heredibus suis relinquat[2]). Quodsi maritus, morgengaba non data, mortuus est, viduae praeter dotem vel constitutam vel legitimam etiam morgengaba legitima, i. e. tertia pars omnium rerum, quas durante matrimonio simul conquisierint, competit[3]). Quam partem heredibus mulieris ante conjugem mortuae poscere non licet, quum

---

1) Beseler. 219. — 2) Pardessus. 684.

3) Locus enim legis Rip. supra citatus non ita interpretandus est, ut viduam et morgengabam et tertiam partem, sed ita, ut eam aut morgengabam aut tertiam partem collaborationis accipere dicamus. Cf. Ginoulh. 206. 226. Königsw. 411 sq. Pardess. 676 sq. Alteram sententiam probant Laboulaye. 146. Schäffner. I. 264 sq. — Gesta Dagob. 47. (ap. Du Chesne. I., Fredegar. 85.): »Tertiam tamen partem de omnibus, quae Dagobertus rex adquisierat, postquam Nanthildis regina regnare coeperat, eidem reservant.« Form. Marc. app. 40: »quod manente conjugio apud jugale meo illo visa sum conquisisse vel in mea portione recepi.« — Secundum Ludovici Pii constitutionem vidua eorum quidem, quae »simul in beneficio conlaboraverunt,« tertiam partem accipit, ea autem, quae maritus »aliunde adduxit vel comparavit,« cum liberis dividit. Cf. Capit. ad Theodon. vill. a. 821.

nisi »si virum supervixerit« non debeatur[4]). Itaque quum mulier non ut communionis causa, sed ut heres mariti vel viduitatis causa illam tertiam accipiat[5]), eam neque ulli alienationi mariti nisi mortis causa donationibus intercedere, neque ipsam vivo marito tertiam sibi competentem alicui legare posse certum est[6]). Quod ubi fieri videmus[7]), tertiam partem mulieri non viduitatis causa competere, sed a marito stante matrimonio ei constitutam esse intelligimus. Nam quum tertia pars collaborationis ei soli viduae, quae morgengabam non acceperit, legibus constituatur, a marito quoque plerumque morgengabae loco tertiam partem constitui proxime ad verum accedit. Quo facto mulier cuique

---

4) Königsw. 431. Pardess. 683. — Contra Kraut II. 378 sqq. tertiam partem collaborationis etiam durante matrimonio mulieris esse, ea autem mortua heredibus competere censet.

5) Pardessus 677. »non à titre de société, mais à une sorte de droit d'héréditaire et de viduité.«

6) Pardessus 678. 684.

7) Form. Marc. II. 17. »Sed dum in villas aliquas —, quas ad loca sanctorum heredibus nostris deputavimus, quod pariter stante conjugio acquisivimus, praedicta conjux nostra tertiam inde habere potuerat, propter ipsam tertiam villas nuncupantes illas — in integritate, si nobis subprestis fuerit, in compensatione recipiat. — — Itemque ego illa ancilla tua, — jugalis meus —, in hoc testamentum — rogavi, ut si tu — mihi suprestis fueris, omni corpore facultate mea, quantumcunque ex successione parentum habere videor vel in tuo servitio pariter laboravimus et quod in tertia mea accepi, in integrum — absque repetitione heredum meorum, quod tua decrevit voluntas, faciendi liberam habeas potestatem.« — Eod. II. 7: — — »Similiter et ego illa, dulcissime jugalis meus ille, — — si mihi in hunc seculum suprestis fueris, dono tibi omni corpore facultatis meae — tam de hereditate parentum, quam de comparatum, vel quod pariter laboravimus, totum et ad integrum.« — Cf. Form. Lindenbr. 50. Form. Salzburg. (ed. Rockinger) 13.

alienationi mariti, qua tertia diminuitur, intercedere potest, ita ut maritus nullam rem stante matrimonio acquisitam sine ejus consensu[8]) alienare possit[9]).

§ 2.

De tertia, i. e. de dotalitio. Morgengabam antiquitus a marito simpliciter tradi vidimus; sed quum tertia pars collaborationis morgengabae loco constitui coepisset, instrumentis scriptis opus erat. Itaque mox factum est, ut dos et morgengaba, in desponsatione promissae, eodem instrumento constituerentur et uno nomine dos vel dotalitium vel donatio propter nuptias appellarentur[1]). Quae donationes modo morgengabae, modo doti similiores erant, quum aut jam a desponsatione valerent et muliere mortua evanescerent, aut demum post primum concubitum mulieris fierent et ea mortua heredibus mulieris obvenirent[2]).

Confusis igitur dote et morgengaba, quum morgengaba tertia pars collaborationis fuisset, quid magis naturalis rationis erat, quam totius facultatis tertiam partem a sponso pro dotalitio constitui[3])? Tertia igitur Francorum eadem donatio erat, quam in Langobardis quartam fuisse vidimus[4]).

---

[8]) Iis, quae simul consumpserunt, tacite consensisse videtur. L. Rip. 37. in fine.

[9]) Pard. 676 sq. — Königsw. 411. tertiam nisi viduae superstiti non competere putat. Ad quam sententiam confirmandam formulis Marc. II. 7. et 17. »une dérogation aux principes germaniques« inesse dicere opus est.

[1]) Königsw. 413 sq. 422. Pardess. 673. 684. Warnkönig. II. § 94 sq.

[2]) Königswarter. 422.

[3]) Idem. 416 sqq.

[4]) Form. Langob. 8. »M., trade per hanc pergamena carta de morgincap ad A. de quarta portionem de omnium rerum, que nunc abes

Restat denique quaerere, quando primum factum sit, ut pro dote et morgengaba dotalitium tertiae partis facultatis a sponso constitueretur. Dubitari autem non potest, quin dos, quamdiu viduae tertia pars collaborationis legibus constituebatur, i. e. ante annum 821[5]) a tertia distincta sit. At enim vero post annum 873 per totum medium aevum apud Francos dotalitii nomine tertia pars totius tenementi a viro constituebatur[6]).

---

aut in antea aquistare potueris. — Si est Romanus vel Salichus, dic carta dotis et de tertia portione.«

[5]) Cap. ad Theod. vill. a. 821. (vide § 1. not. 3.)

[6]) Ducange s. v. Tertia. 5; Tertiaria 4; Königsw. 422; Warnkönig II. 258. — Flodoard. ad ann. 924; Charta a. 873. (Murat. II. 116. Baluz app. act. vet.). — Form. Lang. 20: — »interrogat F., qua lege vivendo utatur. Si dixerit — salicha, tunc orator dicat: o F., da Senece vadimonium ut facias Semproniam — jure tuo securitatem scripturalem tercie portionis omnium rerum — et si hoc non feceris, ut componas decem libras auri.« Eo tempore, quo haec formula scripta est, veterem dotem jam omnino evanuisse maxime inde apparet, quod mundoaldus et sponsus invicem summam poenalem stipulantur, quum antiquitus dos ipsa arrae loco esset. (Cf. pag. 90.) Itaque illam formulam et vetustissimis et recentioribus rebus non minus compositam esse, quam et ritus Salicos et Langobardicos continere constat. Cf. pag. 21. 57.

CAPUT III.

De jure Saxonum et Anglosaxonum.

§ 1.

De dote legis Saxonum[1]). Praeter mundii pretium, de quo supra egimus, lex Saxonum etiam de dote loquitur.

L. Sax. 47: »Dotis ratio duplex est. Ostfalai et Angarii volunt, si femina filios genuerit, habeat dotem, quam in nuptiis accepit, quamdiu vivat filiisque dimittat. si vero filii matre superstite moriuntur ipsaque post obierit, dotem proximi ejus in hereditatem accipiant. si autem filios non habuerit, dos ad dantem, si vivit, revertatur, si defunctus est, ad proximos heredes ejus. Apud Westfalaos postquam mulier filius genuerit, dotem amittat, si autem non genuerit, ad dies suos dotem possideat. post decessum ejus dos ad dantem vel, si deest, ad proximos heredes ejus revertatur.«

Eod. 48: »De eo, quod vir et mulier simul conquisierint, mulier mediam portionem accipiat. hoc apud Westfalaos. Apud Ostfalaos et Angarios nihil accipiat, sed contenta sit dote sua.«

Femina igitur die nuptiarum dotem accipit, quam, filiis in conjugio non procreatis, quoad vivit retinet et post mortem suam ei, qui dotem dedit, vel proximis ejus relinquit. Liberis autem procreatis, quamvis statim mortuis, apud Ostfalaos Angariosque dos adeo mulieris fit, ut eam non solum ipsa possideat, sed etiam liberis vel proximis

[1]) Hanc rem optime tractavit Gaupp. 182—187.

suis relinquat, quum apud Westfalaos pro dote statim amissa dimidiam collaborationis partem accipiat[2]).

Ante omnia autem id constare videtur: dotem a pretio emptionis differre, quippe quod non mulieri sed mundoaldo obveniat; nam quominus mundoaldum ei pretium dotis nomine restituere accipiamus[3]), eo prohibemur, quod is, qui dotem dedit, cum proximis suis mulieris proximis evidenter opponitur[4]).

Itaque quum mulier dotem non a parentibus suis accipiat, dubitari non potest, quin maritus eam solvat. Apud omnes autem gentes Germanicas illius aevi maritum praeter mundii pretium nihil nisi morgengabam dare[5]) constat, ita

---

[2]) Titulum 48. legis Saxonum de iis solis mulieribus, quae liberis non careant, loqui quum ex tota hujus loci ratione, tum ex similitudine juris posterioris Guestphalici et Lubecensis intelligitur. Cf. Lüb. r. I. 5, 7. »Wird ein mann wegen schuld flüchtig, hat er dann mit seinem weibe kinder, — — so soll dieselbe bezahlet werden von ihrer beyderseits gut; haben sie aber mit einander keine kinder u. ist der mann flüchtig, so nimpt die fraw ihren brautschatz, kleider, kleinodia u. jungfräwlich eingedömpte, welches sie ihm zugebracht, zu vorausz etc.« Paroemia juris: »Dat kind im ehestande under den burslüden samet u. scheidet.« (Normann Rügian. lndgebr. 151. 156. 227). Kraut grundrisz § 198. no. 6. 7.

[3]) RA. 423. Cf. pag. 22.

[4]) Kraut. I. 314. — Mundoaldum pretium non mulieri dotis nomine restituere, sed in proprium usum vertere, praeterea quantum ad viduam nubentem pertinet, ex lege Sax. 43. intelligitur. Sed quum virginum mundium apud omnes fere gentes Germanicas viduarum mundio severius esset, conditionem illarum apud Saxones non meliorem fuisse apparet.

[5]) Nam quod apud Langobardos, Burgundiones, Wisigothos, Bajuvarios vidua conjuge mortuo praeter dotem et morgengabam etiam usumfructum quorundam bonorum mariti habet, ut ex jure Romano ortum huc non pertinet.

ut etiam dos legis Saxonum morgengaba esse videatur[6]). Quod plurimi quidem negant, quum eam vidualitium (leibzucht) esse affirment[7]). Haec autem sententia quum eo, quod in translatione Latina Saxonici speculi non minus quam in multis chartis Saxonicis pro morgengaba plerumque vocabulum »dos«, pro vidualitio »dotalitium« vel »vitae provisio« ponitur[8]), tum eo refutatur, quod vidualitium nisi post mortem conjugis mulieris non fit neque unquam ab ea heredibus relinquitur[9]), morgengaba autem etiam vivo marito mulieris est[10]) et heredibus ejus competit[11]). Maxime autem quam laudavimus sententia et Langobardorum et Francorum et Anglosaxonum juris simili-

[6]) Gaupp. l. c. Ginoulh. 205. 226. Königsw. 412. Weinh. 220.

[7]) Beseler. 199. 207. Deiters gütergemeinsch. n. d. münst. prov. r. § 41. Eckardt. 445. Eichhorn. § 297. Gärtner leg. Sax. et Fris. 1730. (in not. ad tit. 47.) Kraut. I. 314. n. 24. Phillips dtsch. gesch. II. § 49. Walter. II. 145. Zöpfl. II. § 81 *b*.

[8]) Praeter exempla apud Gaupp 187. citata cf. Statuta civ. Woldegk a. 1307. »modo dotalicii quod vulgariter dicitur lifghedinghe.« Vita St. Mahthild. (Mon. Script. VI. 284.) c. 3. »in Walohusen praeparabatur convivium nuptiale —; ibi perfruebantur connubiis et licito foedere amoris. Heinricus autem tradidit venerabili nuptae in dotem omne quod attinet ad eandem civitatem.«

[9]) Ssp. I. 32. Magd. r. a. 1261. § 28. »Nichein wip ne mach ir lipgedinge zu eigene behalden noch vorkoufen. swan so sie stirbet, daz lipgedinge daz get wider an des mannes erben.«

[10]) Ssp. I. 20. § 4. — »des sones wif nemet — ires mannes morgengave —, of se irs mannes unde irs selves umbesculdenen were dar an getügen mogen.« — L. Sax. 47. — »dotem quam in nuptiis accepit. — dos ad dantem, si vivit, revertatur. — dotem amittat. — post decessum ejus dos ad dantem revertatur.«

[11]) Ssp. III. 38. § 3. »Musdele und morgengave ne erft nen wif bi ires mannes live, sie ne hebbe se untvangen na ires mannes dode.«

tudine nititur, apud quos item pro morgengaba aut quarta aut tertia pars aut dimidium vel collaborationis vel totius tenementi mariti datur.

§ 2.

De morgengyfe apud Anglosaxones. In Anglosaxonibus femina, ubi primum ad maritum venit, morgengabam ab eo accipit,

Kemble cod. dipl. aevi Sax. II No. 328: »hit waes hire morgengifu đa heo aerst to Ađulfe com.« [»morgengabam suam fuisse, quum primum ad A. venisset«]

quam liberis deficientibus etiam post mortem ejus retinet proximisque suis agnatis relinquit,

Aethelb. 81: »Gif hiô bearn ne gebyređ, faederingmagas fioh âgan and morgengyfe.« [»Si infantem non parit, agnati maritagium accipiunt et morgengabam«].

Heinr. I. leg. I. 3. (R. Schmid. app. XXI): »Et si mortuo marito uxor ejus remanserit et sine liberis fuerit, dotem et maritationem habebit.« (Matth. Paris. addit: »dum corpus suum legitime servabit«)

nisi forte ante annum post mortem mariti peractum alteri marito nubit; tunc enim morgengaba amittitur et a prioris mariti parentibus vindicatur.

Cnut. II. 73. V. V: »perdat morgangifam suam et omnem pecuniam, quam ex priori marito habebat, et manus injiciant proximi amici ejus ad terram et pecuniam, quam antea habebat.« (Cod. Colb: »careat dote et omnibus bonis, quae habuit per primum virum, et proximi parentes prioris viri habeant etc.«).

Liberis autem procreatis femina morgengabam quidem amittit[1]), post mortem autem conjugis aut, si divortio facto cum liberis ab eo separatur, totius reifamiliaris dimidium, liberis vero apud patrem relictis tantum virilem partem accipit.

Aethelb. 78: »Gif hiô ewic bearn gebyređ, healfne scaet âge, gif ceorl âer swylteđ.« (»Si vivum infantem parit, dimidiam facultatem habeat, si maritus prius moritur«).

Eod. 79: »Gif mid bearnum bûgan wille, healfne scaet âge.« (»Si cum liberis decedere velit, dimidiam facultatem habeat«).

Eod, 80: »Gif ceorl âgan wille, swâ ân bearn.« (»Si vir eos habere velit, sicut quisque liberorum«).

Itaque eandem communionem, quam apud Westfalaos e morgengaba ortam esse vidimus, etiam apud Anglosaxones in usu esse intelligimus. Unde fit, ut in chartis Anglosaxonicis marito ad res immobiles alienandas uxoris consensus opus sit[2]).

Sed quum posterioribus temporibus aevi Anglosaxonici weotuma non jam mundoaldo, sed sponsae solveretur, factum est, ut mundoaldus et sponsus in desponsatione non solum de weotuma, sed etiam de morgengaba vel potius de eo, quod maritus sponsae mortis causa destinaret, convenirent. Qua de causa summa pactionum va-

---

[1]) Quamvis non expressis verbis ea sola mulier, quae liberos procreaverit, pro morgengaba amissa dimidium reifamiliaris accipere dicatur, tamen ut rem ita se habere accipiamus et legum Aethelb. 78—81. compositio et legis Saxonum similitudo exposcit. Cf. Laboulaye. 125. 148.

[2]) Kemble l. c. I. No. 37. 73. 74. 177. 180. II. 290. 299. 304. al.

rietas invenitur, quum sponsus tum dimidiam, tum totam facultatem suam, tum singulas res sponsae mortis causa constituat, sed ita ut secunda vota iniens omnia amittat[3]).

Tract. de sponsal. (R. Schmid. app. VI.) 3: »Postea dicat bridguma, i. e. sponsus, quid ei dare disponat, cur ejus eligat voluntatem[4]), et quid ei destinet, si superfixerit ipsum. 4. Si sic quoque conveniat, rectum est, ut dimidiam pecuniam habeat, et totam, si simul puerum habuerint, nisi deinceps virum capiat. 5. Totum hoc vadio confirmetur et amici sui plegient.«

Charta a. 1016—1020. (Vide pag. 30): — »And swa hwaeđer heora laeng libbe, ſo to eallen aehtan ge on đam lande đe ic heom gaef, geo[n] aelcon þingan.« [»Et uter eorum alterius superstes sit, haheat totam facultatem, et terras, quas ei dedi, et omnes res«].

Apud Westsaxones autem femina pro morgengaba tertiam partem accipere videtur[5]). Cui maxime respondet, quod auctor legum Heinrici I. (Consuet. Westsex. R. Schm. app. XXI.) in tit. 70. § 22. titulum 37. legis Ripuar. recepit, quo de tertia parte collaborationis viduae competenti agitur.

---

[3]) Huc fortasse pertinent Kemble l. c. No. 235. 304. 524. 593. 699.

[4]) Cf. pag. 31.

[5]) Leg. Inae 57. »habeat suam tertiam partem pecuniae.« Cf. Edw. Conf. 18. (R. Schmid. app. XXII.)

CAPUT IV.

De jure Alamannorum, Burgundionum, Wisigothorum.

§ 1.

De jure Alamannorum. Lex Alamannorum uno solum loco de morgengaba loquitur.

L. Al. Hloth. 56, 2: »Si autem ipsa femina dixerit: »Maritus meus dedit mihi moraganghepa«, conputat quantum volet aut in auro, aut in argento, aut in mancipio, aut in equo pecunie 12 sol. valente (L. Al. Lantf. »aut pecunia 12 sol. valente«); tunc liceat ad illam mulierem jurare per pectus suum et dicat: »Quod maritus meus mihi dedit in potestate et ego possidere debeo[1]).« Hoc dicunt Alamanni nasthait[2]).«

Morgengaba igitur a dote omnino distinguitur[3]). Nam quum dos aut 40 solidorum sit aut a muliere cum quinque sacramentalibus vel certàmine comprobetur[4]), morgengaba 12 solidos non excedit et solius mulieris juramento probatur.

---

[1]) Merkel comparat chart. a. 713. (Zeusz trad. Wiz. VI.), qua femina ad monasterium donat »quod mihi maritus meus secum more legum tradidit ad possidendum.«

[2]) De »nasthaït« vide RA. 906. Merkel ad l. Al. Hl. 56, 2. et ad l. Al. Kar. 56.

[3]) Cf. Rive 57. sq. Contra Gaupp. 177 sq.

[4]) Cf. pag. 72.

Ad eandem autem rem etiam locus quidam obscurior legis Alamannorum pertinere videtur:

Pact. frgm. III. 3: »Si reportat (sc. reputet) aliquid, potestatem femina ipsa habet (debet) solidos 12 solvat.«

Id certe constat, morgengabam, quamvis in Suevico speculo alius modus praecipiatur[5]), etiam postea apud Alamannos plerumque 12 solidorum fuisse.

Leg. Raetic. (ed. Curiens. 1831. p. 77.): »Wenn zwei persohnen, mann u. wib, einander zur ehe nemmend, u. alsdann das eine abstirbt, so ist allwegen der mann oder seine erben der frauwen für die morgendgaab schuldig zwölff guldi, dico R. 12.«

Maxime autem jus Suevicum posterius legi Alam. eo simile est, quod etiam secundum speculum Suevicum vidua, quid sibi pro morgengaba datum sit, juramento probare jubetur[6]).

Schwsp. 20: »— unde ist, daz ein man sînes wîbes morgengâbe verkoufen wil oder versezen, oder swie erz ân wirt, ez sî mit ir willen oder ân ir willen: die wîle der man lebet, man sol ir reht tuon umb ir morgengâbe. wil et sî ûf ir zeswen brüste unde ûf ir

---

[5]) Schwsp. 19. »So git ein frier herre ze morgengabe siner husfrowen daz hundert marc giltet; ich meine fürsten und ander hohe frie herren. Die mittel frien die mugen geben daz zehen marc giltet; die dienstman der fürsten, daz funf marc giltet. Swaz anderre liute ist, die mugen niht geben wan das beste phaert oder ros oder ein vihe etc.«

[6]) Apud Saxones et Langobardos morgengaba item juramento probabatur. Cf. pag. 86 et Ssp. I. 20. § 9. — Merkel (not. ad l. Al. Hl. 56, 2) viduam tali juramento »virginem se in matrimonio collocatam esse« affirmare putat. Ad quod probandum vocabulum »morgengaba« cum Lituanico verbo »mrg-a,« »morga« i. e. puella comparat.

zeswen zopfe — sweren, daz es ir wille nie wurde: der rihter sol ir die morgengâbe wider antwerten.«

§ 2.

De jure Burgundionum. Apud Burgundiones uxor a marito donationem nuptialem accipit, quam ne alteri quidem vel tertio nubens marito amittit, sed, quamdiu vivit, ea utitur fruitur atque postea liberis, cum eo viro, a quo donationem accepit, procreatis, relinquit; liberis autem deficientibus donatio nuptialis inter viri et mulieris heredes dividitur.

L. Burg. 24, 1: »Si qua mulier duntaxat Burgundia post mariti mortem ad secundas aut tertias nuptias — transierit, donationem nuptialem dum advivit usufructu possideat: post ejus mortem ad unumquemque filium, quod pater ejus dederat, revertatur: ita ut mater nec donandi nec vendendi nec alienandi de his rebus, quas in donatione nuptiali accepit, habeat potestatem. — 2. Si — filios non habuerit, quidquid ad eam de donatione nuptiali pertinet, post mortem mulieris medietatem parentes ejus, medietatem defuncti mariti donatoris parentes accipiant.«

Ergo donatio nuptialis a tertia wittemonis parente differt, quae mulieri non a marito, sed a mundoaldo datur et quae, si vidua secunda vota init, a prioris mariti proximis vindicatur[1]). Eadem autem, quae donatio nuptialis, morgengaba est, quippe qua viduam, alteri viro nubentem, nullo modo privari ex inferiori legis Burgundionum

[1]) Cf. pag. 39.

loco, ad quendam priorem, scilicet 24, titulum ejusdem legis spectanti, intelligitur.

L. Burg. 42, 2: »De morgengeba vero, quod priori lege statutum est, permaneat. Nam si — nubere voluerit, habeat liberam potestatem: et tertiam substantiae partem, quam permissa fuerat possidere, dimittat.«

Morgengaba enim hic ei facultatis mariti parti opponitur, cujus vidua, donec innupta manet, usumfructum habet[2]). Cui usufructui etiam alia donatio opponitur, quae, quamvis vocabulo »dos« significetur, tamen dubitari non potest, quin a morgengaba non differat[3]). Nam non minus quam morgengaba vel donatione nuptiali vidua, sive innupta manens, sive secunda vota iniens, dum vivit, dote utitur fruitur, proprietate liberis reservata.

L. Burg. 62, 2: »Nam si ad alias nuptias transierit, omnia perdat: dote tamen sua, quam a marito suo acceperat, quamdiu vixerit utatur, filio proprietate servata.«

§ 3.

De jure Wisigothorum. Antiquitus mulieres praeter dotem etiam alia dona a maritis accepisse constat[1]), donec Chindaswindus rex, ne quisquam ante primum conjugii annum transactum uxori praeter dotem i. e. de-

---

[2]) L. Burg. 42. 62. 74. Haec institutio e jure Romano translata est. Cf. pag. 97. not. 5.

[3]) Gaupp. 175 sq. Ginoulh. 206. Königsw. 404. 406. 409. 413. Kraut. I. 306. n. 14. Walter. II. 145. — Contra Rive. 58 sq.

[1]) L. Wis. V. 2, 4. (Antiqua.) »Si mulier extra dotem a marito de quibuscunque rebus quacumque donatione vel profligatione conquisitis aut illi debitis quocunque tempore quodcunque donatum acceperit etc.«

cimam partem facultatis exceptis mortis causa donationibus quidquam offerret, vetuit.

L. Wis. III. 1, 6. (1, 5.): »Non aliter infra anni circulum maritus in uxorem — excepta dote — aliam donationem conscribere poterint, nisi gravati infirmitate periculum sibi mortis imminere perspexerint.«

Hoc igitur praeceptum, jus Romanum sequens, morgengabam, si qua apud Wisigothos in usu fuerat, abrogavit. Sed quum Chindaswindus illa lege tantum minores homines coërcere vellet, nobilibus autem praeter decimam partem facultatis etiam alias res 1000 solidos valentes dotis nomine constituere permitteret, hic rebus doti adjectis veterem morgengabam, solis nobilibus permissam, inesse proxime ad verum accedit[2]).

L. Wis. III. 1, 6. (1, 5): » — quicumque ex palatii nostri primatibus vel senioribus gentis Gotorum filiam alterius vel cujuslibet relictam filio suo poposcerit in conjugio copulandam, seu quisquis ex praedicto ordine uxorem sibi elegerit expetendam, non amplius unusquisque in puellae vel mulieris nomine dotis titulo conferat vel conscribat, rebus omnibus intromissis, quam quod decimam partem rerum suarum esse constiterit. — — atque insuper decem pueros decemque puellas, et caballos XX, seu in ornamentis, quantum mille solidorum esse constiterit, dare debebit. — — De ceteris vero, qui nubendi voluntatem habuerint, — qui in rebus omnibus decem millium solidorum dominus esse dinoscitur, ad mille solidos, rerum uni-

[2]) Walter. II. 143. Weinhold. 210. — De morgengaba solum nobilibus permissa cf. Weinh. 271 sq.

versarum comprobatione habita, in nomine sponsae suae in dotem conscribat. Cui autem mille solidorum facultas est, de centum solidis tali de ratione dotem facturus est.«

Quae sententia maxime confirmatur quadam dotis formula anni 615, per quam homo quidam senatorii ordinis sponsae easdem res pro morgengaba promittit[3]).

Form. Wisig. (ed. Rozière; Biedenweg.) 20. Dotis formula.

»Insigni merito et Geticae de stirpe senatus
Illius sponsae nimis dilectae, ille — —
Optima namque tibi dona sum offerre paratus,
Et dare, quod retinet praesentis forma libelli.
Ecce decem imprimis pueros totidemque puellas
Tradimus, atque decem vivorum corpora equorum;
Pari mulus numero damus inter caetera et arma,
Ordinis ut Getici est et morgingeba vetusti.
Rusticos impendam famulos per nostra manentes
Rura tibi etc. etc. — — — — — — — —
Immobiles res seu mobiles, tam omne pecusque,
— — — — — — — — — — — — —
Singula quippe supra vultu conscripta jucnndo
Adpraehendas, habeas, teneas, post multa relinquas
Secula posteris in jure, charissima, nostris,
Aut inde facere vestram quodcumque voluntas
Elegerit, directa tibi est vel certa potestas.«

[3]) Biedenweg comment ad form. Wisig. Berol. 1856. pag. 47 sq.

CAPUT V.

Generaliter de morgengaba agitur.

Morgengabam in hac dissertatione, quae »de dote« inscripta est, eam ob causam tractavimus, quod vocabulo »dos« in fontibus juris Germanici antiquissimi non solum mundii pretium, sed etiam morgengaba significatur. Nam quum apud Francos, Alamannos, Bajuvarios pretium emptionis proprie »dos« appelletur, quae significatio etiam in lege Wisigothorum occurrit, quandam »dotis formulam« Wisigothicam de morgengaba agere neque minus apud Burgundiones, Saxones, Anglosaxones morgengabam »dos« appellari vidimus. Apud Frisiones autem morgengaba nusquam invenitur, unde fortasse conjici potest, eam antiquitus Germanis omnino ignotam fuisse et demum jure ecclesiastico in leges barbarorum translatam esse. Sed quum morgengaba et iis, quae Tacitus de dote Germanica loquitur, inesse videatur[1]), et apud omnes gentes Germanicas, exceptis Frisionibus, inveniatur[2]), eorum potius

[1]) Vide pag. 84.

[2]) Quamvis in lege Bajuvariorum morgengaba non occurrat, tamen in Bajuvariis quoque eam in usu fuisse e posterioribus juris fontibus apparet. In quibus quum vetus pretium non jam inveniatur, morgengabam cum pretio confusam esse concludere licet. Cf. Kaiser Ludwigs rechtsbuch XII. 3: »Wellich arm man auf dem lande gesezzn ist, er sey pawr oder seldner und auch ander erber läwt in steten, in margkten zu elichen heyrat greifen wellnt, der sol noch enmag sein hausfrawn nicht höher bemorgengaben, dann mit dem zehenttntail seins guetz, das ist von zehen pfunden ains, wil aber er der morgengab myner machen, daz mag er wol getun.«

sententia probatur, qui morgengabam ex antiquissimis Germanorum moribus ortam esse dicunt. Attamen ex moribus solis, non ex jure orta est[3]). Itaque quum pretium ad legitimi matrimonii naturam pertineret neque maritus nisi pretio soluto mundium acquirere posset, morgengaba neque in quoque legitimo conjugio, neque legitimis uxoribus solis, sed etiam concubinis dabatur. Unde factum est, ut procerum concubinatus, matrimonio similes, matrimonia »ad morganaticam«, i. e. »ad morgengabam« appellarentur[4]).

II. Feud. 29: »Quidam habens filium ex nobili conjuge, post mortem ejus non valens continere, aliam minus nobilem duxit: qui nolens existere in peccato eam desponsavit, ea lege, ut nec ipsa, nec filii ejus amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsaliorum: verbi gratia decem libras vel quantum voluerit dare, quando eam desponsavit: quod Mediolanenses dicunt accipere uxorem ad morganaticam, alibi lege Salica.«

Haec morgengabae indoles etiam in legibus Ostphalaorum, Alamannorum, Burgundionum servata est, quum apud Langobardos, Francos, Westphalaos, Anglosaxones morgengaba jam eo consilio detur, ut, mortuo conjuge, vidua habeat, unde victum capiat. Apud Francos igitur viduis ita legibus consulitur, ut pro morgengaba non constituta tertiam collaborationis partem accipiant, eodemque modo apud Westfalaos et Anglosaxones liberis procreatis mulier pro amissa morgengaba dimidiam collaborationem

[3]) Rive. 55.

[4]) RA. 439. Ducange s. v. morganaticum.

accipit. Itaque quum mundii pretium non jam verum pretium emptionis, sed potius vidualitium esset, mox plerumque factum est, aut ut morgengaba legibus abrogaretur[5]), aut ut, confusis pretio et morgengaba, tantum unum dotalitium partis reifamiliaris superesset[6]). Apud Ostfalaos autem et Alamannos etiam postea morgengaba a pretio (witthum, leibzucht) distinguebatur.

[5]) Apud Wisigothos.

[6]) Apud Langobardos, Francos, Westfalaos, Anglosaxones, Bajuvarios.

THESES.

I. Legis Saxonum partis II. et III. praecepta, nisi expressis verbis dicitur, de quo hominum statu agatur, ad ingenuos, non ad nobiles spectant.

II. Aldiones apud Langobardos tam in mundio, quam in potestate versabantur patroni.

III. Norma juris Germanici: »das kind folgt der ärgern hand« in conjugiis liberorum hominum diversae conditionis locum non habet.

IV. Praecepta juris canonici de dote non ad jus Romanum spectant, sed juris Germanici sunt.

V. Pupillus sine tutoris auctoritate obligationem contrahens naturaliter obligatur.

VI. Qui rem inventam celat, secundum jus hodiernum non furtum, sed defraudationem committit.